

VERA MEDENDI METHODVS.

QVÆ BREVITER DOCET, QVA
TECMARSI REMEDIA CVNCTA
tuto ac dextrè duci in vsum debeant: & quo modo
in omni morborum varietate transigendum. Qua
in re summa medicinæ faciendæ ars versatur.

LIBER QVI METHODI AD PRAXIN III.

AUCTORE IOANNE HEVRNIO.

CAPVT I.

VTILITAS METHODI. *quid
Methodi nomen. & in quibus ver-
setur Methodi medendi officium.*

*Utilitas
methodi.*

QVEMADMODVM his qui
totum vitæ suæ curriculum
in marinis negotiis sibi transigen-
dum constituere, non tantùm opus
est naui optimè instructa velis, re-
mis, armentis, verùm optimo mo-
deratore, qui rectè gubernaculum
trahat, maleasq. vitet: ne in re aded
periculosa ac difficili, & vitæ & bo-
norum discrimen incurrant: Ita in
Medicina faciendâ, siue eâ in pro-
prium vsum, seu alienum vertere
quis velit, summoperè anniti de-
bet, vt rectâ encheirisi remedia tra-
ctet: tractet remedia dico, quæ He-
rophylus antiquus medicus, & ni-
hil esse dicebat, & manum DEI:
Idem remediũ eidem homini salu-
tare & calamitosum est, vt *ευκαιρία*
aut intempestiuè vsus eius inicitur.
Quare ne cæcorum more huc atq.
illuc, in tanto remediorum Oceano
quo DEVS optimus maximus to-
tum hoc mundi theatrũ impleuit,

incerto raptu fluctuemus, ductore
opus est certo, quo indice, quid re-
medium cuique dicatum sit intel-
ligamus: ne nobilem illam DEI
fabricam, imò Spiritus sancti do-
micilium, hominem dico, in vitæ
periculum temeritate trudamus.
Tenerrima, facilisque auulsu apud
homines habitat sanitas: & sæpe le-
uissimi morbi sese altiùs inferunt,
ac non tempestiuâ curatione ex cu-
rabilibus fiunt incurabiles: accedit
& iudicij difficultas ex necessaria
distinctione causarum, signorum,
& remediorum: ad cognoscendum,
prædicendum, & curandum, ac si-
militudines sæpè bonis Medicis
imponunt. Propterea Methodo
vtemur certa, quæ tanquam Cyno-
sura, nobis in morborum pelago
versantibus, vt expeditè ad certa
remedia deueniamus, opem feret:
cùm quid factò opus sit *κατὰ μίαν
σύνθεσιν ἀγειν*, vt Polybius loquitur,
ἢ σωματοποιεῖν quasi vno intuitu, in
vnum corpus redactam morbi hi-
storiam, hæc cõplecti doceat. Nam
talem methodũ se sibi fecisse nar-
rat Galenus, initio libri septimi suæ
Methodi.

Methodi. Quare qui Methodo curandi fraudati, medicinam faciunt, maximam calamitatem vitæ inferunt. Scio plurimos esse, qui, abditis quibusdā remediis, efficaci vi præcellentibus, aut numerosā sylvā medicaminum sese venditent: sed ut non ille faber auri, optimus est, qui elegatissima & polydædala instrumenta, quamvis argentea aut acutissima nactus est, sed qui doctā manu opus tractat: ita nec medici illi optimi censendi, qui quā plurima & optima remedia norunt; sed is salutiferam manū adferet ægris, qui doctè, aptè, & accōmodatè his uti norit. Noscet rectum medendi usum is, qui compertum habuerit quod cuique remedium optimum sit, & quā copiā, qualitate, quo tempore, & utendi modo in usum ducendum sit. At hæc obscura & sensibus incomperta sunt, ni certa ratio accedat, quæ indiget vndenam in horum agnitionem veniendū. Hæc autem est Methodus medēdi, quæ affirmat nullum morbum omnibus esse eundem; nec vllum remedij genus esse, quod habet eandem vim in singulis. Ac asserit tempericorum variarum rationē habendam esse: non eadē fideliā, macie atrum corpus, ac carne turgidum abstergendū esse: nobile viscus si morbo oppressum langueat, aliter quā ignobilis pars, cuius officium sese non fundit per totum corpus, habendum esse: vires etiam affirmat in examen debere euocari, aërem ambientem insuper notandū, num vires frangat, aut stabiliat. Omitto iam ætatis examen, cōsuetudinem, peculiarem cuiusq. naturam, num

mas, num fœmina, vitæ exercitium, longitudinem & breuitatem morbi, paroxysmos ægritudinem, naturæ ordinem, ac syderum zyzygias: sine quorum recta perceptione, fluxam ac vanam remediorum admotionem omnem esse existimat. Quare cū sine his rationibus expugnari morbi nequeant, nec vquam felicem curationis euentum fortiantur, quo modo hæc in usum euocet Methodus medendi, perlustrare summā curā debemus: Nam, ut scribit Plato in Philæbo, qui artem sine Methodo se acquisiuisse arbitratur, sciat se vmbra artis, non artem ipsam habere. Omnis Methodus viam facit non sine certa ratione per difficultates artium, per rerum confusions sese expediens, res obscuras in lucem produciens: vnde Galenus vocat eam φῶς κατὰ λαμπρόμενον, quasi faculā collustrantem artiū intima. Dicitur ἀμετά & ὁδός, quasi ὁδός μετὰ τόπον τινά, hoc est: via recta ad locum aliquem: sed non satis est nouisse viam quæ ad metam collimatam deducat, sed longè præstat rectissimam & breuissimam semitā scire, quæ ad hanc metam sine polydædalis labyrinthis, gyris, ac fastidiosis anfractibus ferat. Ut viator commodè peregrinaturus, itineris metam, iter ipsum, nec λεωφόρον cognita habere debet, sed semitæ & breuissimi aditus explorati esse debent: ita in Medicinæ curriculo & peregrinatione, itinera tuta, hoc est, methodus cognita esse debet. Etiam si quidam sint morbi curatu faciles, qui planā quasi viā ad sanitatem ferantur; non tamen vbique omnium eadem & par est

Quid
methodus
regia.

Id est:
vehicula-
rum via:
via regia.

on dicitur
- in 11/1000
- 25/1000

bonitas; saepe magnæ angustia in re dubia, vt nescias quò te veritas, ni magistra Methodus accesserit. Nos itaq; agemus de medendi metho- do in vniuersum; hoc est de ea me- dicinæ parte quam Græci *θεραπευτική*, Latini *CURATRICEM* nominant. Quæ methodus, vt est omnium medicinæ partium po- strema, ita omnium aliarum est fi- nis. finis medicinæ etenim est sani- tas, at ea paratur præfidiis methodi medendi; quare, & hæc, meta erit reliquarum Medicinæ partium. Hæc enim illa est, cuius gratiâ, naturæ totam historiâ, maximis (attamen iucundissimis) laboribus addisci- mus; morborum discrimina varia, mores, & motus ex symptomatum variis ideis indefessis curis distin- guimus. Hæc enim propria medi- corum officia sunt, sanitatē ab omni languore tuem, curare ægros, refice- re conualescentes, mitigare sympto- mata, fouere senes. In his officiis methodus breuiter has cautiones proponit: primò, vt tutò curemus: secundò, vt celeriter: tertio, vt iu- cundè curatio transigatur. T v t o peragatur curatio: eum integrè ex- cutitur morbus, sine vllò reciduiæ metu: & cum toto genere morbus incurabilis fuerit, ne lædas, aut irri- tes silentem morbum. quod saepe euenit his, qui melancholicis reme- dia præbent nò satis valida: vt enim rabidus canis nisi lacessitus non sa- uit; ita ocio fruens melancholia se- se continet. Existimare hinc aliquis possit, methodum omnium mor- borum ferè curationes polliceri, à qua temeritate illa longè abest: etenim absolutè curare morbum illi saepe

negatur, ob naturæ fractæ languo- rem; cuius fauore fraudata, celsipitat omnis curatio: sunt enim naturæ; morborum medici, dicebat Hippo- crates. Quin & morbi, & sympto- matum vehementia, quæ interdum naturâ sunt superiora, eius vim op- primunt, vt inuutilis euadat omnis opera medica. his addite familiares & inquilinos naturæ hostes, qui aliquid frequenter addunt morbo; vt error ægrorum, in agendis, ad- mouendis, sumēdis. quin & astan- tes officium suum non faciunt. & res eæ quæ à foris sunt, naturâ aliò euocāt. Summè illud studiū omni- bus adesse debet, ne lædant: quare peculiaris cuiusque natura est dis- cenda ab ipsis ægris; quidam enim horrent cassiam, qui rhabarbari vsu leniter ferunt. Quin vt tutò curatio transigatur, cura adsit, no- reciduiua molesta sit; cui solemne est, tædij adferre plus, primario morbo. Reciduiam autem declina- bimus, si animaduertimus ali- quid à morbo superesse quod adi- mendum est: nam inde, vt scripsit Hippocrates, reciduiæ fiunt: cum inquit, reciduias adferunt in morbo- rum reliquiæ à crisi imperfecta, & inchoata, & impedita tum propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, tum naturæ infir- mitatem: hoc ferè fit, exactis iam morbi viginti diebus: & in morbis diuturnis, quorum difficultas in pepasmi difficultate consistit: pe- pasmi difficultas, in materiæ mor- bificæ contumacia. Quodsi igitur superstes fuerit empyreuma, sitis, oris amaror, recurret morbus. Qua- re vt tutò curatio peragatur, iam

Officium
methodi
medendi.

Tutò.

Morbi nò
omnes cu-
rabilis.

Ne læ-
dant.

Reciduiæ.

tum

tuta quamuis recreatus à morbo videatur aeger esse, pharmaciae locus erit. **C**ITÒ curare ad officium quoque medici pertinet; sed probe curandum, ne quid fiat temerè: nec tamen temerè cunctandum, sed lentè festinandum. Hanc occasionem loquetur ipse morbus, vnde Hippocrates dicebat, concocta medicamento purgare oportet, ne in in principiis quidem, nisi materia turgeat: plurimum verò non turget. Vbi igitur materia turget, quod interdum fit ineunte morbo, cum natura morbificis causis opprimatur; & frequens tum incidit mutatio symptomatum, & quiescere aegrum non sinunt, excludenda est materia cæstro percita furoris quàm primùm pharmaco: ne febrilis calor augeatur, symptomata immania euadant, & pessumdetur aeger. At si succi firmati fuerint parte aliqua, primò annulatione naturæ (quæ nihil incocti excernit) coqui debent: alioqui neque medicamento trahenti nec naturæ expellenti cruda materia cedit, & aeger damnis augebitur, conuulsionibus & torminibus conflictabitur. Veneranda antiquitas summa religione cauebat, ne cità curatione læderet. Quòd enim Ægyptiorum medici valida remedia ineuntibus morbis vitarent, abundè testatur Aristoteles, tertio Politicò, capite tertio, vbi ita scripsit, *ἡ ἄνθρωπος μετὰ τὴν πρῶτην κινεῖν ἐξέσται τοῖς ἰατροῖς; ἐὰν ἴσῃ ἰσχυρότερον, ὅτι τὴν αὐτῶν κινεῖται*: dicit Ægyptios noluisse quicquam in aegrotis innovari, nisi peractà quartà die; alioqui, suò periculo agebāt. His itaq; cautionibus satis citò cu-

ratione peragemus: si animaduertimus naturam languidiùs suum officium facere, illam erigemus: si quid ad exclusionem paratum sit materiae morbificæ, id dato pharmaco extrahemus; vt enim sunt gradus coctionis, ita & purgationis esse debent: quare non nimis citò ea institui debet. Tria enim requiruntur ad legitimam purgationem, vt rectè peragatur; meatuum libertas, materiae præparatio, & naturæ vis: & ita, vt decet, **C**ITÒ curabimus. **I**V C V N D E autem curamus, cum aegrum nullis molestiis, quantum fieri potest commodis illius rebus afficimus: quod facile à nobis fiet, si exhibuerimus remedia quàm paucissima. Frustra fatigant remediis aegros qui moderatà victus ratione curari possunt: magno olim tædio diatriton, id est, trium dierum in diem præscribebat Asclepiades illis qui solutà venâ curari poterant. Ex aduerso hodie; cum non tam quid cōducat, quàm quid placeat habeatur ratio; vt ex obsequio gratia illis accedat, hæc impostura pestis. Attamen naturæ bellum infert ille, qui paucis contentam remediòrum mole operat. Quare quod mundum & volupe est exhibeatur, & quàm mollissima remedia adhibeantur, & suauissima; ne, perterrita natura, eorū insuauitatem auersetur; suauia enim altius imprimit: præterea, molesta symptomata nulla cum noxa mitigent. Attamen in remediòrum stupefacientiũ usum, quale est philonium & recentiorum laudanum, nō precipites ruemas: cum, enim perceptiõnem inferant rei naturæ æstis, causam

Incunab.

Narcotica

causam tamen doloris non abscindunt; imò sæpè ad causam morbi-
ficam faciunt. Quamuis nonnun-
quã summa Necessitas in his auxi-
lium nõ sine magna gloria quæsie-
rit & reportarit. Et quamuis noxa
immittatur naturæ horum usu, ne-
cessarium tamẽ hîc Thucydides est
consiliũ, *δρασάντας τὴν κινδυνώσαναι*,
id est, agentes aliquid, vel periclita-
ri. Quibus enim alia ad salutem via
præclusa est omnis, exceptã vnã,
eãque dubiã & periculi plenã, ne-
cessarium esse arbitror hac aduer-
sos periculis ire. Quantò itaque sa-
tius est aliquid nõnullã fiduciã vel
cum periculo facere, quã spe ad-
emptã certò perire: tantò profectò
satius est potentibus præsiidiis pu-
gnare, quã nihil agere. Quare
non nimis animosè reuemus ho-
rum usum cùm vires doloribus ac
vigiliis prosternuntur, sed horum
meta sit virium robur: vt cessanti-
bus doloribus, robur recolligant
ægri, vtque morbo fiant pares, &
sufficere curationis spatio valeant.
Alioqui, vtgente etiam symptoma-
te, quamdiu viriũ robori fidimus,
methodus tenenda, nec in ægri gra-
tiam soli symptomati vacandum.
Sed labentibus viribus, morbo
omisso tantisper symptomati oc-
currendum, quò vires firmentur.
Crudelis enim medici est ægrum
doloribus conficiendum propina-
re: vt & adulatoris medici est, ad
quemuis leuissimum incursum do-
lorum, præscriptis stupefacientibus
voluptati ægrorũ subscribere: nam
à molli medicina quæ consenuisse
videbantur, recrudescunt. quare
semper ne quid nimis. Olim & his

remediis suus vsus erat in magnis
doloribus oculorum, catarrhis te-
nuibus, tussi contumaci, & aurium
cruciatibus: etenim macula corpo-
ri inusta, melior morte. Hoc itaque
modo Tutò, Citò, & Iucundè, cu-
rare docet Methodus.

CAPVT II.

VNDE NATA ME-
THODVS. QVID SIT
methodus medendi: & quibus duci-
bus absoluat.

CVM itaque maximum offi-
cium Medici sit tutò curare,
id nunquam obtinere poterit, nisi
Methodus aliqua illi comperta sit,
cuius operã tuta remedia inuenire
poterit. Vt sunt duo cunctæ inuen-
tionis apud homines instrumenta,
Experientia, & Ratio: ita & in Me-
dicina: etenim ad eum qui interro-
gat, Cur huic ægrotanti ex caufa
frigidæ bibendæ potestatem fece-
ris, duplex est responsio: altera, quæ
causam & naturam aperit febris,
ac de morborũ temporibus disse-
rit, & vnã frigidæ aquæ naturam
enarrat: Vbi hæc demonstrarit, co-
natur & illud docere, in hoc mor-
bo, & hoc tempore morbi, aquam
gelidam commodum remedium
esse. Altera, nempe Experientia, de
horum natura non sollicita, dicit,
in tali morbo ac tempore sæpè fri-
gidam profuisse. Est autem **EXPER-**
RIENTIA duplex: vna, temeraria
& præceptis, sine ratione, & stulto-
rum magistra: altera, ratione vtitur
& rerum est magistra. Hanc Hip-
pocrates amplectitur iunctã ratio-
ne: sed ca lege, vt malit iudicio abs-
que ex-

Medici

Ratio

Experien-
tia

que experientia fidere, quam experientia ratione carenti. Etenim iudicium quamuis sit difficile, quod corpora, causae, atque signa similitudine saepe bonis medicis imponant (vt vrina alba, quae soboles est & acutissimae phrenitidis, & frigidissimi hepatis & ventriculi) attentum est iudicium: at experientia temeraria, est periculi plena. Iudicium certe est difficile apud medicos, quod multa putantur fieri lege naturae, quae sunt à vi morbi profecta: accedit, quod morbi diuersos mores induant, modò δύσχετοι, modò εύχετοι: quare optimè sese iungunt ac comitantur RATIO & EXPERIENTIA: cum nec ratio, nec experientia, inuicem diuisae, omnia inuenire possunt. Rationalis itaq. medicina methodo vtitur, quae versatur in vniuersalibus: vt exercitatio in particularibus. Finis autè methodi est, remedia cuique morbo dicata inuenire, & recta tecmaris vti. Hinc Galenus dicebat, id pro comperto habeatis, non licere vllius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habueris per vniuersalia theoremata, & particularibus exemplis te exercueris in agris singulatim curandis. Est igitur METHODVS MEDENDI via generalis, omnibus particularibus communis, & artificiosa, certa & exacta, inueniendi per indicationes & intentiones quo remedij genere in qualitate, quantitate, tempore, & vtendi modo, morbo cuique sit medendum. Dixi viam esse generalem: etenim ex æquo omnibus morbis conuenit. Cum enim vinculo quodam inter se iun-

cti sint communi morbi, necesse est vt & aliquid sit his commune, quod è corpore abigi possent: conuenit autem inter ipsos, vt actionem partis corporis suo officio spolient, & præter naturam esse: quare & omnibus conueniet ablatio, quae fiet contrario remedio, vt auctor est Hippocrates libro De flatibus: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰμύατα: nam vt Plato demonstrauit in Alcibiade ij: Ea contrariorum ratio est vt vnà habitare nequeant, ac sese mutuo enecent ac depellant: quare & contrariis rebus morbi depellentur. Videri tamen posset non rectè in rerum cognitione versatis, instabile illud axioma, contrariis remediis morbum pelli, cum Hippocrates scripserit, tetanum morbum naturam frigidum curari à perfusione frigidae aquae: sed id euenire affirmamus per reuocationem caloris, qui vi frigoris cogitur, ac efflorescit iterum in superficie, materiamq. nervis conceptam tetani auctorem depellit. Verum, dicet quis, vomitus vomitum curat, dolor dolorem placat: respondemus, dolorem minimè doloris curatorem esse, sed remedium, quod non sine dolore interdum affectum doloris parentem adimit: ita & vomitus causam, vomitus exhaurit. Quare fit quidem curatio similibus, sed κατὰ συμβεβηκός, per media illa quae primario contraria sunt. Hæc itaque Methodus, artificiosa & certa via est, quae certa fit tecmaris; tecmaris dico, quod signis tecmiris, hoc est syllogisticis (quibus positus, aliquid necessario sequitur) viritim & singulatim curandi rationem inecat. Init

Instrumenta
methodi.

Similibus
fit curatio.

Iudicium.

Methodus
medendi
quid sit.

Indicatio-
nes.

autem methodus omnem curandi rationem ducibus quibusdam, hi sunt, INDICATIONES: quæ in vniuersum sedecim numero ex Hippocrate colligi possunt. Est autem Indicatio rei agenda insinuatio, vel comprehensio rei iuuantis, cum comprehensione rei nocentis. Est enim scopus terminus in quem dirigitur actio: Indicatio autem est ratio agendi, quam ostendit speculatio scopi: Vel est cognitio eius quod conferre potest vel nocere. Sed coindicatio est illud quod non primò, sed per aliud ostendit quod monstrat ipsum Indicans. Ita vires indicant victum, & missionem sanguinis; ita ætas, sexus consuetudo. Contraindicatio est quod impedit primò, quod ab Indicante suggeritur; vt fracta virtus cum euacuatio-

ni reclamatur. Correpugnantia autem, quæ secundò indicantibus, sese opponunt, vt in vacuando ætas, sexus, habitus, anni tēpus, &c. quæ, cum vires fractas monstrent, ideo vacuationem arcent, aut moderantur. Igitur quæ hortantur vt scopus perficiatur, sunt Indicantia: quæ reluctantur, contraindicantia: quæ illud per accidens, coindicantia: quæ hoc, correpugnantia. Exemplum sit victus, qui indicatur à viribus: contraindicatur à morbo: coindicatur à temperamento, ætate &c. quæ quantæ sint vires ostendunt: Quis verò correpugnant, quæ morbos declarant. Sed oro meos Dogmaticos vt singula hæc mihi iam mutudè, nomine Indicationum: quò lucidè in opus flectam medicinam. Quarum

- I. Indicatio sumitur ab affectu ipso: hoc est, à morbo, morbi causa, vel symptomate urgente.
- II. Indicatio ducitur à temperie totius corporis egri.
- III. Indicatio inicitur à parte morbo oppressa.
- IIII. Indicatio ex viribus decumbentis egri accipitur.
- V. Ab aëre ambiente capitur.
- VI. Indicatio ab ætate fluit.
- VII. Indicatio à consuetudine sumitur.
- VIII. Indicatio à peculiari cuiusque natura aucupatur.
- IX. Indicatio à sexu (num mas, num femina egroret) ducitur.
- X. Indicatio ab exercitio inicitur.
- XI. A longitudine vel breuitate morbi captatur.
- XII. A quatuor morborum temporibus indicatur: num scilicet morbus sit in principio, augmento, statu, aut declinatione.
- XIII. Indicatio trahitur à particularibus paroxysmis morborum.
- XIIII. Ab ordinatis nature functionibus sumitur.
- XV. Ex medicamentorum viribus.
- XVI. Ab influxu siderum.

His ducibus absoluitur in omnibus morbis curatio, quod si ex-

tra hanc lineam abierit, quò latius, eò ignauius curabit: quò verò propius

piùs se iunxerit, eò faciliùs excutietur morbus. quare tantùm medicos faller conatus curandi, quantum ab his Indicationibus curatiuis abierit. Prima etenim Indicatio, ex ritè percepta morbi natura contrarium ei decernit remedium, mole & vi. inde vertit sese medici mēs ad secundam indicationem, ac accuratè perlustrat num decretum illud remediū à morbo, eiùsve causa, perferre aegri temperies possit: quare vel admittit id, aut atterit aliquid ab eius vi. Deinde eadem prudentia tertiam Indicationē perpendit, num quod pharmacum postulat morbus, & cui subscripsit aut aliquid absterit totius corporis temperies, commodè huic parti admoueri possit. si enim hepar laborauerit, pars cùm sit cuius officio vita carere nequit, aliter transigendum quàm si crus affectum eodem ex morbo langueret. Tandem eadem serie ac diligentia reliquas captas Indicationum vires: & quæ indicationes coindicent, & quæ contradicent perpendit, vt tandem rectè limato remedio curationem instituat. Has itaq. si rectè Indicationes admouerimus in quærendo remedij genere, eiusque qualitate, quantitate, tempore vtendi, & modo adhibendi, aptè & ex lege methodi medicinam faciemus. Sed vt hæc numerosa rerum series altiùs reposita maneat, hoc programma menti infingendū effinxi, barbarum quidem, at vsibus commodum.

AFFECTVS CONTRA NATURAM, hoc est, morbus, causa morbi, & symptomata.

PARS MORBO OBSESSA.

TEMPERIES aegri.

VIREs: aër: atas: solitum: naturaquo: sexus:

Ars: breuis: vt tempus: venit: ordo: remedia: cali.

Hi sunt omnis curationis in omnibus morbis auctores atq. duces. Non tamen eo quo scripsimus ordine in opus trahendæ sunt Indicationes; nam euenit interdum vt id quod à morbo indicatū fuit, tertio, vel postremo loco habeatur: vt si languet pessundata virtus corporis, omnem curam vt erigatur, illi adhibebimus, neglecto interim morbo. Hæ Indicationes, prout omnes in aliquo remedio adhibendo consentiunt, ita id aut validum, mediocre, aut lene præscribi debet. si autem ex æquo hæc valens, illa imbecillum postulent, mediocre offeratur. At in his non solum numeri, sed præstantiæ potissimùm habenda est ratio.

Usus Indicat.

CAPVT III.

QVOMODO IN COGNITIONEM MORBI, eius causa, & partis morbo obsessa sit deueniendum, ex signis sensibus nostris obuiis.

PRIMA Indicatio curandi, ab affectu præter naturam sumitur. Sed antequam eius præcepta tradere possimus, rectè exploratus esse debet affectus præter naturam, hoc est, morbus, causa morbi, & pars agra rectè cognita esse debent: etenim ignorato affectu, omnis curationis ratio, & spes tollitur. finis enim methodi medendi, est apta curationi inuenire remedia; eius

*Acciden-
tia.**Prima
qualitas.**Exem-
plum.*

autem initium, morbi cognitio. Morbum autem, morbi causam, & partem affectam nobis indicabunt symptomata, hoc est, corporis accidentia aliqua præter naturam mutata, vel excrementa quæ aliã quàm decet ideam præ se ferunt, & actiones læsæ. Accidentia plerumq. ægris notiora esse solent: quare de illis primo occurfu sunt interrogandi: primoque de iis quæ tactu percipiuntur: & illico rogabimus ex illis, num molesta sit prima aliqua mutata qualitas, num caliditas, aut frigus, mador aut squalor infestent. & explorandũ num toti corpori impressa sit hæc dyscrasia, an peculiari alicui parti. Vt si affirmet æger flammeum calorem se sentire circa os ventriculi, suspicio erit calidi affectus ventriculi: sed quia vicinæ ventriculo partes nos fallere possunt, & calida intemperie laborantes, hîc non subsistemus, sed & alia symptomata quæ sunt in excrementis, & actionibus læsis, examinanda erunt, num eandem intemperiem indicent. vt si nidorosum ructum, vel ouorum frixorum expiret, & prostratus appetitus langueat, inexplibili autem bibendi ex desiderio laboret, ac sentiat se lædi rerum calidarum vsu, frigidis verò leuari: indicia hæc certò loquentur calidam intemperiem morbum hunc esse. Sin his accedat oris amaror, nausea, vel vomitus, significatio adferetur non solam simplicem intemperiem molestantem esse, sed & materiam calidam in vitio esse. Ita si feruor præter morem exardescat in hypochondrio dextro, qui toti corpori citra febrem affletur, maxime

quæ squaleant volæ manuum ac pedum, certa res erit hunc ex hepate profectum calorem qui in volis efflorescit: quod sint temperatissimæ, quodque venas habeant confertissimas, eò sese abrumpentes. Ita & in aliis intemperiebus transigendum: rogandumque semper, num causa aliqua externa malum impresserit: vt ea quæ aguntur, assumuntur, & admouentur corpori. Sin nullum signum in ægro se prodatur ex primis qualitatibus profectum, indagabimus num secundã qualitatem mutatam sentiat: num mollitiem præter morem, aut duritiem, vel tumorem percipiat, & an asperitate, lenitate, grauitate, leuitate, densitate, raritate eo in loco afficiatur, quo minimè ex naturæ lege decet. Vt si tumor adsit, de magnitudine & eius paruitate solliciti esse debemus: & rogandum, sit ne vnus an plures; cū dolore, vel sine dolore; affatum, an sensim magnus euaserit; durus & tensus, vel mollis; cum pulsu aut pulsus expers. Si enim magnus fuerit tumor vnicus, & confertim enatus cū dolore, inflammatione esse suspicabimur, quare, vt id exactiùs percipiamus, rogabimus num caleat tumoris locus, num rubeat, renitatur & pulset: nam hæc certò inflammationis significationem adferent. Ita omnes affectiones, quæ sese facile secundis qualitatibus iungunt, perlustrandæ sunt: eodẽ modo in prima qualitate perpendenda, imò & in excrementis examinandis & perlustrandis actionibus læsis, eadẽ prudentiã transigendum erit. Nam singula ita excussa, non modò affectũ contranaturam aperient,

*Secunda
qualitas
mutata.**Tactu
percepta.**Exem-
plum.*

rient, verum & partem afflictam, morboq, obsessam palam dabunt: etenim in omni parte, omnia euenire nequeunt. TERTIO interrogabimus, num aliquis dolor molestus sit in parte aliqua, vel toto corpore num sit fusus: nam vbi dolor, ibi plerumq. habitat morbus. Dolor varius est vel ratione partis dolentis, aut materiae variantis: & interdum doloris idea est ex his vtrifque remixta. Partibus sui sunt dolores, vt membranis euenit punctilialis dolor; quod dilatari nequeant, dicitur & fodicus dolor, nervis tractivus, ab aëtheris inopia vel copia. membranæ quæ carni remiscuntur laceratius est familiaris dolor, in quo videntur membranæ à carne diuelli. crassis mēbris perforatius dolor proprius est, qualis colo ac longanoni intestino euenit. agrè sentiētibus partibus grauatius dolor molestus est, vt hepatis, pulmōni, lieni: quare rogandū num pondus circa has sentiant partes. at arteriis vicinis locis, hoc est carnibus, bellum mouet dolor pulsabilis: hic cum molliter premitur locus doloris, ille mitescit ac demulcetur. venæ extensiuum dolorē sortiuntur. membranæ ossium, contundentem & profundum: laxum habent carnes. Et quæque materia morbifica peculiarem characterē doloris præfert, vnde innotescit: nam materia vehementer frigida aut calida, mordentem dolorem præbet: vt enim calor solutionis continui auctor est pandendo & dilatando, ita frigus comprimendo. verum illud discrimen notandum, quod mordax dolor tunc fit à frigore, dum in parte

calor conceptus fuerit qui vehementer renititur: sin nulla adsit oblectatio, stupefactius dolor erit; qui in paralyfim se effundit plerumque. Materia igitur frigida parti impressa frigida, quæ spiritibus spoliata torpet, stupefactiuum dolorem profert, qualis proprius est ille dentium dolor hæmodia: in reliquis membris, hic paralyfis futuræ præludium est. Sicca materia exasperantem dolorē præbet, qualis in rauedine animaduertitur, exasperata larynge: dolor acerrimus & stimulans, est à bile: stupet & hebescit à melancholia: ita & à pituita & flatu, nisi vehementer distendant. Aut oritur dolor materiae & partis simul iunctarum ratione: vt materiae copia in loco angusto concepta, compressiuum dolorem ingerit: materia autem dura angustis spaciis coercita, cōtusiuum dolorem exhibet, qualis calculi est dolor. Flatus, vel materiae copia musculorum cavitatibus concepta, extensiuum dolorē accersunt. Materia acris in loco exactè sensu ornato, vlcerosum dolorem effingit. Sin ager dicat se nulla parte dolere, sed toto corpore fusum dolorem esse, sciendum, hos dolores à medi-

Lassitudo.

Doloris
ex pro-
priate.Partium
dolores.Materia
dolores.Notan-
dum.

est, cum quis se ab ocio ad exerci-
tationem transfert, qualis in illo
adolescente describitur apud Hip-
pocratē, qui decumberebat in Men-
daciij foro. Ultrò autem oborta las-
situde triplex est, ulcerosa, tēsiua, &
phlegmonosa. Ulcerosa ea est, quæ
ulceris dolorē imitatur: cuius causa
est succus contaminatus, & crudi-
tas; cacochymiam vocant. Tēsiua,
qua corpus tenditur: huius origo
est plethora, quæ ex venis, arteriis,
ac musculis sanguine distentis mo-
lestiā præbet. Phlegmonosæ ortus
est plethora, vberimè fœdis succis
contaminata. Ex quibus morbi ferè
omnes principia ducunt. Situs do-
loris, partis affectæ etiam est index:
nam si dolor insidet penitus dextro
hypochondrio, hepar, non lien: si
sinistro, lien, non iecur afficitur. Si
dextri hypochondrij tumor per co-
starum extrema trahatur, ac subie-
ctæ partes lunæ figurā exprimant;
in iecore est. si circumscriptus in
ventris longum excurrat, in rectis
consedit musculis abdominis. do-
lor profundus, & sublimis. Hæc de
symptomatum indiciis, quæ sensu
tactus percipiuntur. Si ex his indi-
ciis in cognitionem deuenire non
poterimus affectus præter naturam
& partis ægrotantis, tum quartò,
num sit qualitas aliqua, notanda
visu, mutata in corpore inuestiga-
bimus. Quare nū color totius cor-
poris vel partis mutatus sit explora-
bimus, maximè legitur humoris
vitium in facie: nam efflorescit in
ea luxuriantis succi color, nisi ab
animi pathemate, aut ab aëre reflui
fuerint: hinc patescet num sit he-
paticus, spleneticus, ictericus, num

hydropicus. Et an pars rubeat san-
guine, albescat pituita, liueat à me-
lancholia, vel num flavescat bile:
num facies mutata in caractere,
mole & colore: num oculi concaui,
adunci vngues, nares acutæ. Atque
ita de aliis qualitatibus, quæ gustu,
auditu & olfactu percipiuntur. sa-
por enim amarus bilem effusam in
ventriculum purgatione egere si-
gnificat. Sapor salsus pituitam sal-
sam denotat. Ita indagandum num
odorem fœdum spirantem sentiat
ex toto corpore, cum totus sudore
madet: vel parte, vt acidus à ven-
triculo si sentiatur nidor, eius cru-
ditatem aut splenis affectum de-
notat; & si Paulo credimus, in pue-
ris vermium præsentiam, modò
reliqua signa consentiant. Si nul-
lum symptoma eluceat in mutata
qualitate, ad secundum genus sym-
ptomatum deueniemus, ac inter-
rogabimus de excrementis: num
solemnis ac consueta vacuatio ali-
qua sit suppressa, siue vrina, siue
alui fæces, aut fluxus menstrui,
vel fluere suetæ hæmorrhoides, ac
muccus narium, & num sudor so-
lemnis stagnet. Sin aliquid præter
naturæ legem efferatur quod ex-
cerni non cōsuevit, erit eius exami-
nanda substantia, num sit sanguine
commaculata, num pure ac tabo
fœdata, an caruncula, membrana,
adeps; nam pars corporis excreta
vleus denotat: num vrina, chylus,
bilis, pituita, melancholia, saliuæ,
sudor, lachrymæ, semen. Cartilago
tussi reiecta arteriam; caruncula in
vrinis, renes; ramentum in alui fæ-
cibus tenue, intestina superiora;
crassum, longanone exulcerari de-
monstrant.

3. Epidem
sect. 3.

Situs do-
loris.

Visu per-
cepta.

Sapora
notanda.

Ex aditu

Excre-
mentis

Substan-
tia.

Qualitas. monstrant. Deinde cogitandum quanam qualitate sint imbuta, vt colore, figurâ, aspredine: hæc enim vnâ partem prædent morbo affectam: cum excrementum semper ideam gerat partis vnde dimanauit. Deinde qua copiâ efferatur excrementum, perpendendum, num immodicè effluat: Et quo tempore elabatur; vt si status periodis fluere assueta excremēta (vt menses) continuò efferantur. Excernendi præterea modus obseruandus excrementorum, vt, ex vulnere sanguis quali saltu profiliens, apertam arteriam denotat. Ita nū vomitu, tussi, screatu eiiciatur excrementum. Et portio partis si solitaria efferatur, è proximis sedibus dimanare significatio adfertur: quod si exactè permixta fuerint, ex remotis elabi indicium erit. Vt si paucus sanguis mucco mixtus per sedem excludatur, cum frequenti desiderio deiciendi, à longanone erit: sin absque crebra desidendi cupiditate, sed cum dolore, non exactè excretis remixtus effundatur, & mox à dolore excernat, & dolor ab osse pubis sursum per latera repat, ad ventriculi regionem in colo vlcus esse argumento erit. nam plenitudo, sine dolore erumpit. Quòd si sanguis exactè facibus commixtus fuerit, & dolor circa vmbilicum fatiget, nec mox à dolore secedat, vlcus impressum esse superioribus intestinis indicabit. Ita vulnus cum venter exceperit, effluuij modus partem vulneratam loquetur; nam si cum sanguine chylus efferatur, pertusus ventriculus erit: sin flauescat chylus, ieiunum intestinum vulnus

habet: quod si faeces reddat, intestini crassi læsi indicium erit. Itaque vt morbus, ita & pars ex morbo laborans ab excrementis elucet: aliæ siquidē partes aliis gignēdis coaceruandisq. excrementis dicatæ sunt, renes & vesica calculo: intestina lumbricis fatigantur. Optimè hæc obseruant ægri ac referunt, cum his terreatur. Excrementa autem cuncta quæ ex corpore manāt vel sunt portiones quædam affectæ sedis, vt caruncula in vrina à læsis renibus: vel sunt adhærescentia parti, vt adeps: vel talia quæ pars amplectitur, vt vesica vrinam. Si ex his indicis in morbi eiusque causæ & partis affectæ cognitionem non deuenimus, ad tertium genus symptomatū nos vertemus: quare de actionibus læsis rogandi erunt, de animalibus functionibus, vitalibus, & naturalibus. De animalibus, num sensus vel motus stupefcatur: deinde num aliqua princeps facultas officium non faciat: num labefactata sit imaginatio, cogitatio, vel memoria. De his omnibus exquiremus num sint tantum imminutæ, an deprauatæ, aut omninò ablatae. Quare omnium partium vsus exploratum habere debemus: nam hunc edunt, dum ex lege naturæ sunt temperatæ, formatæ & nec numero, mole, vel situ in vitio. Cum verò plura instrumenta ad eandē actionem edendam conueniunt, explorabimus vitij magnitudinem, & num ab omnibus illis partibus enatum fuerit vitium, vel à quibusdam. vt si non mingat quis; videndum, num à vesica, vel eius à resoluto neruo, vel à renibus id vitium

*Actio læsa.**Animalis.*

*Confusa
Sympto-
mata.*

tium obnatū fuerit. Si igitur pluri-
ma symptomata cōgruant in vnius
partis, morbi, vel causæ morbificæ
significationem, firma hæc erunt:
sin dissident, ad alterius partis inue-
stigationem diuertendum, dum
omnium symptomatum testimo-
niis, talem partem affectam esse ex-
ploratum fuerit. eadem ratione in
morbi & morbificæ causæ inquisi-
tione transigendū. In confusis itaq.
symptomatis (vbi vulgus nouum
morbum stupet) cū multa & va-
ria symptomata sese exhibeant (vt
fit sedibus in vicinis, ac eisdem vsi-
bus dicatis) singulorū naturis per-
pensis, quotquot conspirant in ein-
dem partis significatiōe, seorsum
constituēda sunt: vt scire possimus,
quot partes affectæ sint primariò.
Interdū magna obscuritas in sym-
ptomatis est, vbi symptomata fero-
cia, quædam minora secū trahunt
symptomata: vt si quis cottidie pu-
ris synceri selibram ter quaterue
excernat, interdum sæcibus remix-
tum pus, nec dolor vnquam fati-
gat, nec sitis premit, nec fatiscit ap-
petentia, nō febris valida, sed igna-
ua, nec solita munia cogitur inter-
mittere æger: id vnde emanat? ex
abscessu, rupto mesenterio. Non
enim à ventriculo aut intestinis,
quæ doloris expertia non forent.
non ex renibus ac vesica, quæ ad
vrinas abirent: non iecore aut liene,
vbi sine febre, siti, & iactatione non
hærerent: Igitur in Mesenterij re-
gione, parte ignobili, consedit hu-
ius morbi focus.

*Num per
se, vel per
conscium
labores
pars.*

P A R T E itaque affecta depre-
hensâ, ex læsa actione, excrementis,
dolore, & qualitate mutata, viden-

dum, num illa pars laboret per se,
vel ex alterius partis cōsensu. Cū
consensu affligitur pars, *Deuteropa-
thia* ab Hippocrate dicitur: quæ illi
fit duobus modis; vno, per sympa-
thiam, id est per contagionem, vel
vt Plinius interpretatur, per cōcor-
diam: altero per diadosin, id est, per
communicationem materiæ mor-
bosæ & morbi. Per sympathiam tri-
bus modis quid afficitur, generis si-
militudine, operis societate, & vaso-
rum communione. Generis simili-
tudine fit vomitus biliosus, vulne-
rato capite: quia menynx detecta
aëriq̄ue exposita & ab ipso immu-
tata, trahit in consensum suæ affe-
ctionis omnes membranas. ita pul-
so in testudine neruo, & alter mo-
uetur. Operis societate, vt in bra-
chio si os rumpatur, vel musculus
fecetur, vel neruus contrahatur, re-
liquæ brachij partes suo munere
spoliantur. Vasorū communione,
vt in fractura calcis, apud Hippo-
cratem libro secundo De fracturis,
aphorismo decimo sexto: quod illa,
sine contusione cutis aut carnis fie-
ri nequit, (eò quod fiat tantūm ca-
su) vnde chorda maxima trium
musculorū suræ conuellitur, & per
venam & arteriam insignem, trans-
funditur materia in cor, vnde fe-
bris: & postremò, per neruum in
cerebro fit delirium. Deuteropathia
per diadosin, fit duobus modis;
vno, lege critica: altero, symptoma-
ticòs. criticè, vt cū materia pul-
monibus concepta, in testes vel in
crura decūbit, symptomaticè fluit
materia, cū ex cruribus ad pul-
mones viam affectat; hæc palindro-
me, propriè metastasis dicitur. Hoc
enim

*Deuter-
pathia.*

enim differt metastasis à diadosi, quòd metastasis semper ferè ab Hippocrate in malam partem accipitur: semel tamè in bonam, quinto Aphorismorum, septimo. nam metastasis est mutatio morbi in morbum, per translationem materiæ morbificæ, à parte ignobiliore ad nobiliorem: ab exteriori ad interiori: à parte quæ continetur, in eam quæ continet. Diadosis verò, cum fit translatio à parte nobiliore ad ignobiliorem: à superiore ad inferiori: à continente in eam quæ continetur; ab interiori ad exteriori. Et cum multæ sedes affectæ sunt, explorandum erit, num vna alteri affectione importet, hoc est, num eius morbi causa sit: id elucet ex primo morbo prehensa parte; & ex eo, quòd graue symptoma posteriori incommodarit: id trifariam sit; partium societate, situ, & robore: vt cum ventriculo resecto distentoque nidoribus, caput hos excipit, ac dolet à ventriculo. Hæc ita animaduertuntur: nam cum pars primario affectu laborat, affectio nihil intermittit, nec incremente alterius partis affectu augetur, sed quouis alio mitescente perseverat: ac illi accommodata præsidia conferunt. Mox ipsam partem examina, si quid extra naturæ lineam abierit, quod ad illam pertinet deprehendas: vt intemperiem, tumorem, colorem. Si nil tale eluceat, alia pars crimen habebit. Nam si ex alia parte morbum accipit, cuncta contrario modo euenient. Præterea illud ad suspicionem facit ex alia parte translatum malum esse, quòd ei vicina pars laborat, & eidem vsui

inseruiens: vel quòd maxima inter se societate iungantur, ob vasorum communionem, aut generis similitudinem. Sympathiã itaque alterius partis, impressum malum esse, triplici ferè ratione agnoscimus: Primò, cum ex alia parte siue vapor, siue materia effertur, quæ iã iam morbum excitat. Secundò, quando materia quæ aliunde fluere consueuerat, intercipitur. Tertio, cum aditu prohibetur facultas. Quatuor autem in his interrogationibus, cum ab ægro symptomata exquirimus, obseruabimus: Primò, vt proficiatur inquisitio de illo symptomate, quod ægro aut astantibus notius esse existimabimus. Secundò, vt incipiamus interrogationem ab eo, quod, ratione præsentis temporis, regionis, ætatis, & temperiei, suspicabimur quàm maximè molestum esse. Tertio, vt ab illo, cuius, præteriti temporis constitutio & rerum aliarum conditio, suspicionem nobis iniicit. Quarto, vt si primò morbo laborarit aliquo, nos vel de eodem morbo, aut alio ei cognato suspicionem induemus. Quare nihil non agemus vt morbi eiusq. causæ, & partis in cognitionem deueniamus. Quòd si ne his quidè subsidiis rerum cõtra naturam, accuratè horum natura nobis comperta fuerit, non quiescendũ, sed & res nobis annatas (quas naturales vocant) & non naturales (ita nõ annatas nobis vocant, sine quibus tamè vita nõ perseverat) in insignia & notas euocabimus. Propterea inter natiuas res, corporis habitũ & temperiẽ examinabimus: etenim hæc iccoris ac cordis natura ferè imitantur; cuncti enim

Concordiã
cum laborat, tri-
plici ob-
seruatione
innotescit.

Obseruã-
da.

Alia nota-
tanda.

Temperamentum.

Metastasis.

Diadosis.

Nota cum
ex symptoma laborat pars.

cti enim muscoli è iecore alimen-
 tum, è corde calorem & spiritum
 sumunt, & ex his quodammodo
 conitant. Temperamenti autè no-
 tæ interdum fallunt, ob ascititiam
 temperiem: vt qui naturâ graciles,
 in ocij vmbra ac vberrimo victu
Parentes. crassescunt. tunc parentum tempe-
 ries consulenda, qua præditi essent
 cùm generarent, & quibus de par-
 tibus & morbis querela illis fuerit:
 ita cõspectior erit prolis omnis na-
 tura; & quas partes imbecillas, qui-
 busq. cumulâdis humoribus aptas
 sortiti fuerint, deprehendemus.
 Etenim parentum semina (quæ ex
 partibus omnibus dimanât) atque
 prægnantis victus, principum par-
 tium & totius corporis naturâ con-
 stituunt. Temperamentû animad-
 uertimus ex pulsu, animi moribus,
 calore, colore, respiratione, mole,
Color. pilo, habitu corporis. faciei ex colo-
 re: nam in facie abundans in cor-
 pore succus efflorescit instar flo-
 rum, præsertim si humores non fri-
 gore aut tristitiâ in altum compulsi
 sint, nec in cutem violentiùs irue-
 runt ab æstu & ira. Nam faciei cu-
 tis, cùm minimè à carne diuulsa
 sit, sitque extima carnis pars exicca-
 ta, si quod animi pathema premat,
 quot animi inde motus, tot com-
 mutationes eorum in facie eluces-
 cent. ita in ictero primò facies fla-
 uescit: sin pulmones inflammètur,
 rubet: si elephantiacus fuerit, liuet:
 cùm lien & iecur obstructione ten-
 tantur, faciei cutis obscuro colore
 marcescit: in tabe, cadauerosâ eua-
 dit: quare & corporis temperiem
 explicat. Maximè autem corporis
Oculi. res elucet in oculis, qui humoribus

mollibus repleti ac spiritibus, faci-
 lè iniurias quaslibet corporis expri-
 munt: cùm leuem ob causam ex-
 hauriri eorum poterit pars, tû quòd
 iterum succis & spiritibus rigati
 oculi, latiore corporis statum, vi-
 uido splendore, testari possunt. Qua-
 re oculus qualis fuerit, tale totum
 erit corpus. Quin & animi mores
 in apertum proferunt quonam tem-
 peramento corpus præditum sit.
 morum certè obseruatio sæpe mor-
 bos detegit, aliis signis incompre-
 hensos. Sub longa inedia maximè
 conspicui fiunt mores, cùm succus
 impermixtus exultat, qui in cuiusq.
 peculiari natura redundare cõsue-
 uit: tunc enim nondum alimenti
 benignitate repressus, sincerè suos
 mores proferre solet. Quare, cùm
 morum quædam semina nobis in-
 ferantur à natiuitate, illa primor-
 diis naturæ consentanea erunt. Pri-
 mordia naturæ sunt temperamen-
 tum, & præstantior ea vis quæ nos
 conformauit; quæ tamen sine mo-
 deratione certa corporis, suum offi-
 cium facere nequit. His adde, vt re-
 ctè temperamentû innotescat, quæ
 aguntur, admouètur, & sumuntur.
 Quin & insomnia temperiem cor-
 poris explicant: vt enim deliria
 constitutioni corporis consentanea
 homines inuadunt, ita & somnia
 varia ludunt; vt tacita corporis fue-
 rit temperies: & quicquid corpus
 vehementer premit, quandam de
 se animo imaginem exhibet, & in-
 somnium facit. & ex animi pathe-
 matis, ira, mærore, gaudio. Quare,
 vt breuiter dicam, noscetur tempe-
 ries ac immoderatio corporis ex
 ætate, aère quo fruimur, qualis ille
 sit in

*Animi mores.**Res non naturalis.**Insomnia.*

fit in substantia, qua qualitate imbutus ex regionis situ, anni tempore, & cæli statu: ex ciborum copia, & inedia, ex vitæ genere, in victu, studiis, & exercitiis: ex vacuandorum suppressione: ex prægressorum morborum conditione: ex iuuantibus & lædentibus: nam hæc affectum, & vnà eius sedē monstrant: ex somno & vigilia. quin ex morbis iam tunc grassantibus. Hæc itaque illa symbola sunt, ex quibus in morbi causæque eius, ac partis laborantis cognitionem deuenimus: sine qua, accommodata remedia præscribi nequeunt. Quare negotiosum cum sit exactè morbū eiusque causam pernoscere, nihil à diligentia inquirendi remittere debemus. Quantum enim obscuritatis pullulantes ac herbescentes morbi habent? non malè quis herbis primùm iam erumpentibus similes dicat, quæ non nisi ab exercitatissimis agnosci possunt: pauci enim lactucas à betis emicantibus discernere queunt. Ita, quàm plurimi morbi ineuntes, similes sunt: ex materiæ cognatione, partiumque vicinitate, vel cōsensu eandem faciem gerentes: & morborum remixtio, plurima obscurat: & varia eorum per tēpora mutatio. Quandoquidem qui morbus primo pede biliosus apparebat, tandē in pituitam residet; euictâ aut euacuata bile, restibili pituita: vt enim erumpentes herbæ allam foliorū ideam gerunt, aliam cum in caulem surgunt; eodem modo, iam prouecti morbi alium characterem expriment, quàm cum nuper nascerentur: ita sanguinæ febres vertuntur

in biliosas: arthritis biliosa tandem pituitescit. Et syndrome signorum, quæ à morbo, & parte affecta accipiuntur, si iungatur, ideam morbi describet, vt Pleuritidem, Anginam. Quare explorata sint cunctæ morborum causæ, internæ, & externæ: notenturque quæ præcessere ex iis quæ morbos inferre solebant: & quæ causæ, quos morbos parere soleant: & an cum hoc morbo, eius causæ effectus respondeat: an illud vrgens symptoma, huius morbi sit & partis: an non ad vicinum morbum pertineat, & meliùs ex illius pharetra profectū esse dici possit: nam sat citò, si sat benè.

OBSERVATIO.

Symptomata partium propria promptissimè ægram partem aperiant: vt cibi fastidium, stomachi languorem loquitur: sanguis per sedem excretus qui ideam gerit aquæ, in qua recēs mactata caro lota fuit, hepar imbellem indigitat. Sed ne frustra simus, his non ilico standum, sed alia signa iungenda: vt si quis ægrè spiritum trahens, rubedine maxillarum tingatur, & spumosa expectorarit, hunc inflammatos pulmones habere affirmabimus: Non igitur genarum soli rubori fidimus: nam ille ex natura quibusdam efflorescit; aut crisis futuræ prodromos esse poterit. Ita in hepatica excretionem iam dicta, exploramus num ab hæmorrhoidibus effundatur: id, ex tumore & grauitate hepatis, colore faciei, & ex subdita glande. In morbi causa agnoscenda proderit nouisse, quænam pars corporis in partem iam morbo pressam excrementa sua euomere

*In partibus
inuestig.*

*In inuestig.
causa
morb.*

In morbi
iuvae sig.

soleat: & quisnam succus in ea, & toto corpore luxuriare soleat: nam hinc perenni quodam fluxu rigatur agra pars. Notas prævalentis succi vberimè demonstravit Fernelius, libro secundo de Signis, capite ab x i. vsque ad finem eius libri. **I**N MORBI inquisitione lustrabimus morborum causas, quæ intus sunt, & foris: quænam præcesserint ex iis quæ morbos euocare solebant; vt aër, vitæ ratio: & notabimus, quænam causæ, quos morbos excitare soleant; & num hic morbus tali causæ respondeat: iuuantia & lædencia animaduertemus: & quænam morborum genera populatim sese effuderint. Interdum & ex vno symptomate aliud agnoscerimus, ita vnus morbus alterum aperit: vt si corpus tabescat, indicio erit hæc macies interclusam esse viam alimento; clauditur, ab infarctu gibbarum partium hepatis: hunc infarctum dignoscemus ex hepatis labore ac grauedine, quam subit in secunda coctione, cum traducendum est alimentum per hepatis venulas. Ita analysis patefacit affectus. Præterea natura loci affecti interdum morbum aperit: quod cuique parti sint peculiare morbi; vt nec pulmo nec syndesmus dolet: crurium maxima duricies est in scorbuto: lumbricis fatigantur intestina: renes & vésica calculo. Ita facile notatu est, hæc nobis enarrata signa, æqualem vbiq; vim non habere. Excrementa enim, & his magis dolores, certò partem afflictam monstrant.

CAPVT IIII.

AN MORBUS SIT CURABILIS: ET QVIBVS motis id colligi possit.

MORBO itaque, causa morbi, eiusq; exploratâ naturâ, speciebus & differentiis, & parte morbo obsessâ cognita, & num primariò aut secundariò laboret cum exploratum fuerit; & num per se aut per aliud; ilico animum conuertimus ad prognosin: num ille talis affectus morbificus curari possit: frustra enim de curatione transigemus, si illa inanis futura fuerit. Si curari non possit, à promissis abstinendum: nec temerè, quod postea peniteat, committendû: *ἢ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν*, inquit Epicharmides, *χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν*. Non igitur generoso remedio vllò vtamur in his ad infamiam. sin curationem admittat, ea erit aggredienda. Sed quibus symbolis in cognitionem veniemus quoddam curam nō abnuat? id duorum subsidio elucebit, experientia & iudicij. Experientia tradi monumentis nequit, vsu tantum comparatur: ratio itaque sola nos iuuabit. Iudicium ingeniosè euentum colligit, sumtis indiciis à morbo, ab ægro, tum à parte affecta. Iudicium, ex morbo intelligit num curari possit; cum eius confert speciem ac essentiam, morem, & magnitudinē, ad ægri vires: nam metitur hæc cum robore languentium. etenim senes thoracis morbis facile enecantur; latera enim imbecilliora senum, expectorationi non sufficiunt: ita ardentibus ex febribus senes abripiuntur; quod immanitatem

Morbus

tatem causæ significant, ex qua tam frigidū corpus exardescit: est enim magnus affectus triplici de causa, ob partis affectæ præstantiam, affectus magnitudinē, & cacoëthiam. Ex viribus iudicium etiam prænotionem captat. Hæ autem elucet ex facultatibus, excrementis, & qualitatibus mutatis. Ex his cum intellexerimus ægri vires, eas cum morbi viribus commitemus. Et si animaduerterimus vires ægrorū morbum ferre posse vsque ad morbi decursum, ægrum curari posse putabimus: sin minus, contra. Excrementa sunt vrina, alui deiection, sputum, quod è naribus labitur, vomitu excretum, sudor: in his cruditas, & coctio. Vasorum morbos indicabit vrina: thoracis & pulmonis, expectoratum: ventriculi, intestinorum, hepatis, & lienis, alui deiection & vomitus. Ex parte malè affecta colligit iudicium euentū morbi: ægrota enim vel nobilis, vel ignobilis pars. Pars nobilis periculosè ægrota: eius enim officio carere vitæ nequit: vel si vsus eius necessarius vitæ est, periculi res plena erit. Ignobilis pars interdum & suam difficultatē habet: cum remedium intus sumptum vel foris admotum integris viribus eò peruenire nequit: vt qui ex lapide renum vel vesicæ laborant. Quare res ægrorum hac serie examinabimus; primò rectè explorabitur vis morbi: dein pars affecta ob oculos sit: vltimò vires metiemur. Si itaque omnia conspirant in salutē vel perniciem ægri, certa erunt præfagia. Si vitali facultati benè sit, at animales cotidie fatiscant, naturales verò conti-

nudè in melius prouehantur; tunc accuratè perpendendum, ad quas functiones maximè hæc læsio spectet: nam in qua facultatum parte morbus hæsit, ab hac potissimum iudicium pendet. Vitalis tamen facultas primarium locum obtinet: nec desperandum dum illa suo robore fruitur; nec temerè sperandum vbi illa pessundatur. Quare perpende num actio sit abolita, diminuta, vel deprauata. Num peius sese habuerint quàm nunc indagandum: aut num erigat se in melius, hoc est, qualis fuerit & qualis iam sit morbi status cogitandū. Præterea, num corpus & humor longè à genuino statu recesserint examinandum. An die critico iudicium ineat: nam nihil rectè iudicatur quod prius indicatum non fuit. In iuvene nunquam desperandum: in senē nunquam fidendum. Hippocrates multa signa prodidit ducta ab ægro, viribus, morbis, & partibus: maximè in nobilissimis illis tribus Prognosticon libris, in quos contulit imò iam senio confectus ea quæ vsu didicisset in Græcia, Libya, & Scythia firma esse: & Galenus libris de Crisibus prolixè historiam omnium euentuum prosequutus est. Illud obseruabile, vt notemus signa præteritæ sanitatis, & præsentis ægritudinis: vt sciamus quantum recesserit à natura pristina. Præterea illud rectè notetur, quòd signa apparentia ad speciem crisis, incerta & calamitosa sunt, nisi præcesserint signa ad tempus: Nihil enim rectè fit, quod antè significatum non fuit signis apparentibus ad tempus criseos. hoc est, signa pe-

passimi debent præcedere crîsim: & illa signa ad tempus, debent priùs apparere quàm signa perturbationis criticæ. Quæ nisi præcesserint, dicitur excretio symptomatîca, & non critica. Sit itaque rata hæc Prognosis: τὰ ὀλέθρια ἀσήμεως ῥασιωνήσαντα, θάνατον σηµαίνει, id est, perniciofa mala, quorum sine signis leuatio est, mortem subesse ostendunt. Sed lubet hîc, ob insignem præfagæ scientiæ vtilitatem, aliquantulum prolixius abire, & emissum equum iterum ad carceres reuocare: nunquã enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Profectò quod Isocrates de viro bono, nos rectè de Medico, * ὅτι τὸν χρῆσόν ἰητρὸν, δεῖ τῶν μὲν προσγενημένων μεμνήσθαι, τὰ δὲ ἐνεσῶτα προάπειν, πρὸς δὲ τῶν μελλόντων φυλάττειν. Quid enim diuinius quàm pulcherrimis his symbolis notare posse, num ægrum, qui acerrimis malis confictatur, læta excipiet victoria, cōtra omnium spem, aut mors insperata: aut saltem si euentuū ideam historiamque morbi peragendam prænuñciaueris? Quin medicationi verè hæc patrocinantur: & diætæ rationē suis gubernaculis ducunt. & fidem medicam ægro asserūt, adeo vt lubenter iussis medici pareant; quod ad salutē plurimūm valet, & medicum ipsum ab ignorantia & malitiei calumnia vindicat. Quod breui hoc filo, quod iam texo, me adumbraturum cōfido. Primūm perlustrandum erit num ad salutem vel mortem morbus sit excursurus. si ad salutem, quando, & quo modo, hoc est, num crisi vel longâ die eo defungetur. sin ad mortem, quo mor-

* Hoc est, quid frugi Medici cum conueniat antea eorum meminisse, præsentia verò agere, de futuris autem cauere. *Usus.*

tis caractere, quòue tēpore abiturus sit. Hæc enitescunt ex morbi natura, & corpore quod morbo est implicitum. Qui morbi naturæ potentiã aut artis vi euinci possunt, hos fœliciter historiam suam absolueri posse spes est: sin minùs, in angusto spes erit. nam tunc salus vitæ in promptu est, simulatque natura triumpharit de morbo: sicut mors in propinquo, triumphatã naturã. Sed eã de morbo triumphaturam indicio sunt, cū iis explendescit commodis que pugnant cum morbo, vitamque ipsam tuentur ac sustinent: nam hinc veniunt pepassimi & crises. Sed vndenam hæc certa spes, aut mox futura calamitas nobis elucebit? ex indiciis certis. vnde illa petam? ex morbi essentia, hoc est, ex natura morbi, eius generibus, differētis, proprietatibus, symptomatis, causis vnde enatus fuit, & partibus quas occupat: hæc enim essentiæ nomine cōprehendimus. Vt itaque hæc magna & immania fuerint, maligna, assidua, vtque eorum consociatio, inæqualitas, & motuum ductus compos ordinis, vel seriei expers: vel si, è diuerso, cuncta fuerint mitiora, ita vel ad salutem, aut ad interitum apparebunt. Primūm itaque exploretur morbi essentia, ex cuiusque morbi natura, in genere, specie, proprietatibus, vt magnitudine (est enim magnus morbus suã naturã, vt inflammatio: vel causæ immanitate, vt orgasmo si effera fuerit: aut symptomatum vehementiã, vt iuuenes facilius à parotidibus intereunt quàm senes, ob doloris atrocitatem) & more; motu; (nam hic ex sympto-

Qui curabiles aut non.

Vnde nescitur.

Ex morbi essentia.

sympto-

1. symptomatis enitescit) parte affe-
 cta; & humoris dominatu: cùm
 ille morbi fuerit causa. SPECIEM
 morbi quæ peculiaria ei sunt sym-
 ptomata aperient, vt motus & sen-
 suũ priuatio apoplexiam indicant.
 ita reliqua symptomata interdum,
 vt firmior notatio fiat speciei, in iu-
 dicium vocanda: vt quæ à qualitate
 mutata, & excrementis fufis aut
 suppressis ducuntur: ita idea pa-
 roxysmorum, natura ægri, & causæ
 2. quæ à foris sunt. Specie morbi per-
 uestigatâ, eius proprietates, vt MA-
 GNITVDINEM perlustrabimus.
 Morbus est magnus vel sua vi, vt
 iam diximus, vel relatus ad vires ti-
 tubantes. Quòd suâ vi magnus sit,
 dicet symptomatum huius morbi
 speciei peculiarium magnitudo: vt,
 magna erit illa apoplexia, in qua
 nulla amplius elucet sensus & mo-
 tus viuacitas. Sed euenit, vt non
 grande onus leues premat vires:
 idem vsui venit prostratis viribus,
 cùm tenuis etiam incumbit mor-
 bus: nam vires ab eo triumphatæ
 premuntur. vndenam virium res
 eluceant mox, vbi de corpore mor-
 bo implicito, dicemus. His depre-
 3. hensis, ad morbi MOREM nos ver-
 temus, (nam is etiam ad proprietatem
 morbi spectat,) ac indagabi-
 mus num sit morbus boni vel ma-
 li moris; nam is benignâ facie in-
 terdum furtimque vitæ insidiatur,
 tegens aliquâtime per suam ferociam,
 vt morsus à rabido cane, & bubo
 venereus aut pestilens euanescentis
 intus. sed epiphænomena signa
 tandem horum fraudem aperiant:
 nam illa, vt crises futuras, ita &
 4. morbi morem notant. Hinc venie-

mus ad morbi MOTVM: qui sym-
 ptomatis se prodit. sunt enim mor-
 bi quidam motu veloces, vt morbi
 acuti & peracuti, qui celeriter, con-
 tinuò, & vehemēter mouentur: alij
 sunt tardi motu, vt diuturni morbi.
 ita sunt constantes vel inconstan-
 tes, æquales vel inæquales motu.
 Metâ motus definit summus mor-
 bi vigor: eum significat morbi spe-
 cies, vt illæ morborum species quæ
 à bile enatæ fuere, faciliè in vigo-
 rem se erigunt; cunctantiùs quæ à
 melancholia. paroxysmorum vicif-
 situdines etiam hoc monstrabunt:
 vt si insurgant vehemētiùs, pro-
 lixiùs, tædiosiusque fatigent, velo-
 cis motus argumēta erunt. Sin diu
 paroxysmi eodem se trahant du-
 ctu, tardi motus indiciũ erit. idem
 de cuiusque paroxysmi parte di-
 ctum puta. Si morbus periodorum
 expers sit, eius auctio motum illu-
 stem reddet: auctio ex signis pa-
 thognomonicis & epiphænomenis
 se in conspectum dabit. Æqualiter
 aut inæqualiter mouentur morbi,
 nam interdum suum impetum re-
 mittunt. Cōstanter, qui non teme-
 rè, sed iure se in aliã faciem transf-
 ferunt, per seriatim factam suorum
 temporum decursionē, & non sub-
 sultim ita vt modò augeantur, mo-
 dò temerè remittantur; quod sym-
 ptomatũ mutatio declarabit. Qua-
 re in Motu notabimus num cele-
 riter, æqualiter ac ordine quodam,
 & num constanter ferantur morbi.
 Vt si primũ, ex generi dicatis no-
 tis, animaduersum fuerit tertianam
 febrem hominẽ fatigare. Et si dein
 ex peculiaribus signis notatum fue-
 rit esse speciem tertianæ exquisitæ.
 hæc

Ad vi-
res relata
magnit.

111.

1 v.

hæc cum animosè infiliat, celeriter mouetur respectu aliarum suæ speciei febrium: quare citò soluetur, nec septimum superabit paroxysmum. & quia non continuò mouetur, nam integrum diem interponit, à periculo abest. quia etiam, si benè morata fuerit, æquali quodam tractu ac sensim in statum surgit; & non inconstantia quadam sua confundit aut peruertit tempora cursus. Postea, his perspectis, qualis sit pars morbo affecta videbimus, num ea princeps sit quæ valido implicatur malo: Nam morborum omnium principatus naturæ sic occupantium, vt inde eorum officia peruertantur, expectanda in peius mutatio est: hinc enim nulla sperabilis redintegratio. Sic enim comparata est ratio morborum lethalium, vt si non citò exeant crisi propria & secundâ, mox edant signa iam iam futuræ mortis: nam illi celeriter, continenter, & vehementer mouentur. & nulla crisis ad salutem fit, vbi ad calamitosam vim morbi accedit summa naturæ infirmitas: propterea calamitosa *ἐπιφανόμενα* hîc tunc efflorescunt. Et illa prognôsis quæ ducitur *ἐν τῶν ἐπιφανομένων*, vix vnquam, vel nunquam potius errat. multi sunt quidem terrifici morbi specie & magnitudine: sed nulli adimunt spem salutis, nulli certò mortiferi atque funesti, in quibus non appareant signa superatæ naturæ, quæ veteres *τὰ ἐπιφανόμενα δυνάτωσιν* appellarunt. Cernuntur hæc in qualitate corporis, actionibus, & excrementis. vt in prægrandi pleuritide spes in angusto est, non tamē certa

desperatio: ita nihil spei reliquum, quando in stertore, aut nulla est, aut certè exigua perque difficilis & praua expurgatio, cum vrina prærubra & pulsu effæto. Cōtrâ in exquisita tertiana, vbi princeps pars nulla vitiū agnoscit, cum eius causa in minoribus stabuletur venis: vnde valida naturæ vi edomari eam posse significatio fit: nam coctionis iam iam signa apparebunt. grauius periculum causus adferet: nam cordis sedem suo foco inquinat. Tandem **HVMORIS** dominatū perlustrabimus: nū adsit succi inopia, aut corrupti copia: num duriore antea victu multis de causis infirmior euaserit. Et hîc cautio adsit vt infirmitatis causam spectemus, num eueniat morbi magnitudine, vel succi nutritij inopiâ. Ita, magna ex parte, à morbi essentia. Deinde à causis morbificis intelligemus etiam num ægri natura par esse poterit huic causæ quæ illi bellum indicit, & ab ea profectis radiis. Vt num à maximis causis enata febris fuerit, vt ab effera bile, quæ malo victu increuit ac putruit, in bilioso corpore, aluo officij immemore, hepate flagrante ab æstu, corpore obstructo. Causarum verò nomine comprehendimus formam, materiam, subiectum, efficiens quod scilicet gignit, ad incrementa facit, conseruat, iuuat, vel lædit; instrumentū, finem, & causam cum qua, & sine qua. Vt si forma labefactati succi, vnde nascitur tertiana, malignior fuerit; non ita facili pede in crisis ibit: nam hoc summus medicinæ dictator volebat 1^o. Prognosticôn, vbi inquit, *ἢ ἐν μανθάνειν χεῖρ*

v. 1.

A causis
morbificis

ἢ τὴν θεῖον ἐνεστὶν ἐν τῆσι νόσοις, hoc est, tum & si quid diuinū in morbis (ob materiam scilicet indomitam & pepatmi expertem, propriæque substantiæ corruptione vitiosam: cuiusmodi materia esse solet morborum pestilentium, venenatorum, & contagiosorum) illius, inquit, diuini quoque prouidentiam consecrari oportet. Duo enim sunt quæ in morbis omnibus mortis cōsecutionem adferunt, τὸ ὄξύ, καὶ τὸ δεινόν: hoc est, magnitudo, & malignitas. Nam hoc diuinum non ita accipiendū, vt sit aliquid veteribus abditum. nam asserit Galenus Hippocratem id nō ignorasse, imò nec rationem dierū criticorū. & Hippocrates negat quicquam esse diuinus in epilepsia quàm in aliis morbis: at omnia diuina esse. sed politico loquēdi modo vtens, eos morbos qui ab extraordinaria aëris cōstitutione nascuntur, malignos vocat. Ita, ex eius sententia, febris tertiana, longè est difficilior quæ ab huiusmodi temporum mutatione excitatur, quàm ea quæ vitio diætæ, ab obstructione, obnata fuit. Iam materia tertianæ quia bilis, facile crethismo naturam laceffit, quæ surgens eam abigit ex facili, si maligna non sit. Sic si subiectum corpus rarioris texturæ fuerit, per id exhalat facilius. Et efficiens tertianam causa si cibus & nō aëris cōstitutio fuerit, leniùs ea defungetur; nec subiecta pars in qua stabulatur est princeps; nec parti penitus incubuit vt inde inflammata sit: & in corpore est valido raræque texturæ: & si aër frigidus (nēpe causa cōsociata) euincetur facilius; ita si læ-

tus sit animus: & causæ cum quibus hic fit morbus, vt si huic tertiana adsit cutis raritas, ductus meabiles ad exclusionem succorum facilem fore significat: his adde causas iuuantes, vt medicum, clinicas, & quæ à foris sunt: & vires validas huic morbo subiectas. & si iuuant admota remedia. Si breuiter velis iudicium ferre, quære ex causarum efficientium vi (quæ in rebus non naturalibus, & naturalibus) & effectis causarum, & ex symptomatis, morbi essentiã: & dein præfagium inferas. Vt si febris fatiget; vide num præcesserit vsus aromatū &c. quæ facunda in bilem: num corpus & hepar calida & sicca &c. dein effectus, num vigilia, sitis, rigor, &c. symptomata, vt vrina flaua, vomitus bilis, sudor: pallida cutis, amarum os, ac flaua lingua, hæc tertiana exquisita erit. Hæc non interficit; sed septimum diem non præterit, quin latâ victoriã triumphet de morbo: Igitur nec ab inflammatione, nec venenata vi obnata fuit: non itaque periculosa. Præterea, vt seriem prosequar, ab effectibus noscemus, num ab ægro domari morbus eiusque causa possit. Effectum vocamus quod dimanat ab aliena vi. quare vt res fuerint naturæ variæ, vnde proficiscuntur euenta, ita & illa varia sunt: nã alij sunt effectus morborum, causarum, alij symptomatum. Ita quæ à morbis proueniūt, sunt symptomata actionis, qualitatis, & excrementorum: quæ tactu, gustu, odoratu, visu, auditu percipiuntur. quæ, quia signa etiam epiphænomena continent, diligenter ex Hippocratis mente

Ab effectibus, vt symptomatis.

Ex analogia.

examinari debent. ut, si nubecula vel hypostasis appareat. &c. Tandem ex analogia aut similitudine cum aliis, quæ sit vis morbi eiusque causæ notabimus. Ut si eo tempore cõtumaces tertianæ grassentur publicè: vel si in ea familia plurimi simili calamitate abrepti fuerint. Ut igitur has opes cõtraham, Prognôsis inibitur rectè ex morbi explorata essentia in specie, magnitudine, more, motu, parte affecta, humoris dominatu; dein ex causis morbificis, effectibus (inter quæ sunt epiphænomena signa) & analogia cum aliis. Hæc iam cõferantur cum ægrotorum viribus, num hæc cum tali, à morbo, pugna (quam ex iam notatis quanta futura sit scienter collegimus) subsistant. Virium autem ratio inibitur ex vniuersi habitus, partiumque singulari natura in colore, caractere, mole; actionibus vitalibus, naturalibus; & ex iis quæ excernuntur in substantia, qualitate, quantitate, tempore, & excernendi modo. & num in vitio sit animaduertemus natura eius communis, propria insita, & aduentitia: quæ in temperamento, habitu, humorum dominatu, consuetudine, & diætâ. Ex his, nempe essentiã affectus præter naturam, & corpore morbo implicito, tanquam vberimis fontibus, innumera surgunt symbola quæ nos in præfagia ducant. Hic obseruandum, ut, in consultationibus de morbi euentu, ab eo auspiciemur, quod apertiores profert notas. Et illa adsit lex, ut perpetuò immediata & propria in theatrum hoc educantur symbola: nam hæc satis commodè rem ape-

*Anacephalæsis.**Ex corpore ægroti.**Vires.**Observabile.*

rient, & nudam demonstrabunt. Ita transigendū vbi in re obscura, demonstratione opus est: ridiculum enim & intolerabile rem notam magno nisu probare velle. Sin abdita nec adeò comperta res fuerit, cuncta iam dicta genera percurrenda erunt, ut luce quadam futuræ res quæ in obscuro sunt illustrètur. Et ea, vbi opus est, hac fiant cautione, ut vniuersum genus, unde orsi, primùm excutiamus diligenter, ne pedem referre postea ad eandem historiam opus sit: dein ad alia transibimus. Ex his itaque iam relatis iudiciis rectè exploratis, in notitiam veniemus **QVIDNAM** per morbos euenturum sit. id ut colligamus, signorū omnium quæ cernuntur in qualitate corporis, in actionibus, & excrementis, ea conspiratio esse debet ad crisin, ut certò promitti possit quando ventura, & quid ex illa sit euenturum. ut in causo præfagimus interdū sanguinis effusione è naribus finem inuenturam febrem, ita enim suadet genus illud febris; eiusque magnitudo in crisin se effusuram dicit, & mos eius ita sæpe habet si inuenis fuerit, nam in hoc sanguis anarrhops: sed si senex, quia in eo catarrhops sanguis est, cruentâ dysenteria finiri poterit: & sæpe maligno quodam more enecat funestâ crisi. dein motu celeri cum feratur, excretionem futuram denotat: & ex symptomatis epiphænomenis, si caput incurri à sanguine eluceat, hæmorrhagia eueniet; ut si ob oculos splendor exiliant, & delirium superueniat à subito enata cephalalgia, si nares pruriant, facies rubeat,

*Usus.**QVID euenturum.*

beat, &c. adde iam causas vnde enata febris, & corporis laborantis naturā. Dein num seriū vel citiū morbus causaque morbifica eunciaturā vel praesidiis possit. & quam anni, mensis, vel diei parte id quod praedicimus sese in conspectum daturū sit. Vt tertiana febris exquisita si examinetur per indicia praescripta; ex eius magnitudine, more, motu, humoris dominatu, effectis, facile notabimus eam septimam periodum non superaturam. nam eius materia est biliosa & vniuersimodi, nec venenata aut pepasmi-expers; & in corpore libero ab inflammatione: quare intra illud tempus absolui poterit benignae materiae pepasmus. Hic diuina illa Hippocratis praeccepta peruestiganda: inter antiqua praecclarum hoc, morbi cuiusque propria ἐπιφανόμενα, quae apparent circa initia * ἀόζω τῆς φύσεως, suum quaeque morbum abbreviant: quae autem seriū, ipsum ad diuturnitatē producant. Vetus illud admodum in schola Aesculapidiū vulgatum est, τὰ κρῖσιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφανέσθω, id est, critica ne citò se dent in conspectum: siue sit crisis ipsorum, siue signa eò spectantia: nam cuncta κριτικά ibi sunt δύσχευτα. Nā ubi natura morbificis causis opprimitur, estq. succorū cruditas, nulla bona sperabilis crisis: itaq. ilico, ineunte iam morbo, illae non expectandae. quare Galenus dicit, rigere initio febris ardentis, est malignae qualitatis proprium: quamuis febris ardens rigore superueniente soluat: critica tamen non decet initio apparere. Vt enim cruditas humoris morbi-

fici quae caret ἐπεθισμῶ, acrisiam quidem facit, non tamē funestam: ita si accessionem habeat ἐπεθισμῶ, consecutionem adfert sinistri iudicij atque mortis. Motus morbi, vt tempus crisis eluceat, diligenter notetur. quia quorum morborum cita mutatio est, cita etiam euenit crisis. at cita mutatio cernitur in celeritate τῶν ἐπιφανομένων quae iure & loco apparent. vt, iure & loco apparet quae cōtinuò fit anagoge phlegmonarum sustrophycarū. ita in pleuritide quò citiū os madescit ab expectorato quod liberali copiā & liberè fertur, eò res egri meliū eunt: ita in inflāmato hepate quò citiū venit haimorrhagia, eò praecleariū ad salutem facit. quoniam vt acutorum morborum celerrimi sunt motus & vehemētissimi: sic eorum etiam celerrimae mutationes ad interitū vel salutem. Nam crisis mutatione perficitur, mutatio autem motu: propterea ij morbi quorum labores continenter, celeriter, & vehementer mouentur; citas etiā crises adferre solent. Si itaque vehementer moueatur morbus in paroxysmo (cū iam ad statum venit) veniet crisis. ita, vt si paribus diebus moueatur morbus, paribus etiā diebus crisis habeat: si in imparibus, imparibus. & signa crisima praecedentia id notant, pro sui magnitudine, numero, & viribus. vt nubecula quarta die in lotio apprensens, septimo fore crisis denunciat. his itaque adde diei naturā in qua apparuit. Dein motus inspicere vehementiam, tempus anni, & aegri naturam. Et antecederet perturbatio critica per diem vel noctem. praesentem

sentem autē crisin pulsus nunciat, ut si in altum, vehemētem, vel magnum, eorū comparatione qui præcesserant, sese erigat. Si verò ea quæ primūm ferocia erant mitescant, non fiet crisis: sed simplex solutio. In lethalibus autem morbis, mortis futuræ tempus in obscuro est: nam motus vincētis morbi incerti sunt. quare à vehementia motus morbi id elucebit. quidam ne primam periodum absoluunt. si eam ægrè cōfecerint, in acerbiorē paroxylmi tempore enecātur; ut si in augmento, vel initio eius, aut vigore peiūs affligi soleat. At acuti morbi intra dies quatuordecim iudicantur: & æstate celerius quàm hyeme: nam & æstivæ quartanæ breues sunt. at qui ἐν μεταπύρωσι, quadraginta diebus iudicantur. Sed in acutis, primis periodis, mutatio esse solet cita ad interitū vel salutem, ut eò conspirat celeritas motus morbi, ac vis aëris. Verūm in longioribus exacto quadragesimo, ante sexagesimum alia crisis non expectanda. hoc evenit ex conditione contraria celeritati in motu morbi: in natura quidem, habitus & tēperies frigidior; in ætate senectus; in tēpore hyems; in tēpestare, frigida, pluviosa, aquilonia: in humore crassities & contumacia: & ex parte obfessa. Ad alias iam dictas notas etiam collineabimus, ut ad vires: quoniam ubi regnat naturæ virtus, cita exclusio esse solet causæ morbificæ. notum est illud in schola Hippocratica, πεπασμοί, ταχύτητα κρίσεως, ἢ ἀσφάλειαν ὑγιέντων σημαίνουσι. Quia in pepasmo constanti, vis est naturæ, libertas meatuum, & causæ morbifi-

cæ mitificatio: quæ tria sunt ad citam crisin necessaria. Testis est Hippocrates, ubi ait, quibus septimo die crisis venit: illis sub quartum in vrina nubecula fuit rubra. Ita solet in morbis acutis, qui & celeriter, & vehementer, & continenter mouētur. Nec solūm quarti diei epiphainomena κρίσιμα, sperabilem septimo crisin denunciant, apparentque ad tempus, verūm etiam speciem crisis ostendunt. Ita visum Hippocrati, ubi ait, Quibuscumque circa initia febrium, oborta sternutatione, sanguinis stillicidia sunt è naribus: siquidem quarta die vrina hypostasim habet albam, dimissionem morbi per hæmorrhagiam septimo fore ostendit. Quare ut in ipsis morborū initiis nulla fit crisis vi naturæ, ac lege critica: ita nulla significatio, perturbatione, esse potest critica: nam tunc adhuc natura validè premitur morbificis causis. Et nulla crisis fit bona in cruditate, neque salutariter fieri quicquam potest, quod antè significatum non fuit signis apparentibus ad tempus, & ad speciem ipsam crisis. Cū itaq. compertum fuerit, ex primis à nobis positis indiciis, quid euenturū sit, & quando, deinde etiam **QVO MODO** hæc suam historiam finient, ex eisdem positis notis, indagandū erit. Num αἰθρώως vel sensim, hoc est, num critica perturbatione excussura sit causam morbificā natura: vel num potius longa die eam exhauriet per * αἰθρῶν διαπνοήν: aut nū in abscessum morbi causam effundet foras. Scripsit medicinæ præceptor initio De humoribus; οἱ πέπασμοι ἔξω ἢ εἰσω

MODVS

* In sensu
liberæ ex
haustione

Axioma

ca.

είσω

οἷον πρὸς τὸν ἢ ἄλλῃ ὅπῃ δέῃ. hoc est, natuta à pepasino triplicem viam inuenit qua se tuetur, ac morbum excutit: aut enim foras excludit sudore laudabili, ictero critico, exanthematis: aut introrsum excernit, alui deiectionibus, vrinis, haimorrhagia: vel per * διαδοχῶν eā exigit, è directo & procul, in partem capacem, vbi abscessus nascitur, nec morbo impar, nec ipsius naturæ potens. Verùm si in natura suis opibus explendescere, bilis tenuis bellum moueat, cum libertate meatuum: in ita meabili corpore, sperabilis erit excretio à pepasino, introrsum aut foras: quatenus natura & humor huc, illucue cursum inflectant. At verò si nec humor, nec natura, nec meatuum libertas æquè excretioni comparata sint; vnus tantum vitio, aut naturæ fractioris, aut materiæ contumacioris, aut meatuum arctiorum: morbi diuturnitas à coctâ materiâ in abscessum fatiscet. excutitur autem hæc materia intus foras, aut supernè deorsum: quo natura viam affectat, & vbi iam excipiendi præparatio est. Nam in titubante ætate, cespitante iam robore, indomita materia, & meatuum angustia: vt neque excretio, ita nec abscessus fit, sed in corruptelâ degenerat, vnde ilias morborum subnascuntur. Crises itaque morborum absoluuntur excretionem humoris morbifici, vel abscessu. hoc autem fit cum natura insurgit in paroxysmo, recreata humoris pepasino & partium neoterismo; tunc in bellum surgit. Sed diuturni morbi nisi hanc naturæ ἐπέδωξεν, vti in Cleanastide

oetogesimo die, in abscessum abeunt ad inferas partes, cum ex difficili coctione materiæ hæc difficultas obnata fuit, & meatuum angustia: viribus adhuc validis: alioqui pro abscessu marasmus ex cacochymia expectandus. At acuti morbi, quorum motus celer, perpetuus, & vehemens, intra secundum septenarium crisin habent: hi iidem ex irritō erethismo iacti arduant naturam, nomen tamen retinent, & ad quadragesimum diem producuntur: & per vicenarios subeunt naturæ insultus, id est, ἐπέδωξεν. Et horum diuturnitas in coctionis difficultate, hæret, quæ est ab humoris morbifici contumacia, & erethismi vacuitate. Difficultas enim pepasini propter materiæ contumaciam, diuturnitatis causam adfert. Naturæ diu multumque oppressæ sopita vis, meatuum angustia, desperatam efficiunt excretionem. Solo tunc abscessu crisis futura speratur: nisi abscessus materiam & occasionem præripiat vrina crassa, multa, & alba: qualis Archigenis seruo profluxit. Sed acuti morbi excretionem maximè abiguntur, vt diximus, ἐξωξεν. idque iuuenibus quorum meabile corpus, & humor, & naturæ motus vegetus. his enim tribus opus est ad liberam & liberalem exclusionem. propria excrementa coctiones aperiunt. Vt breuiter dicam, cuiq. morbo sua debetur crisis per euictionem peculiare suæ causæ, & redintegrationem partis obsessæ. Euiectio materiæ morbificæ fit excretionem, pepasino, abscessu; pro humoris qualitate, naturæ impulsu, & meatuum conditione.

id est, traditio-
nium.

αἰσίου

Præterea certæ sunt criseon quædam perturbationes, quæ iure & loco apparent, ut τὸ ἐρρηκῶδες vomitionis est κρείσσον: sicut ἀμβλωγμὸς hæmorrhagiæ. Utile admodum est naturæ motū præsentire quò tendat, ut, si tuta minùs sit futura crisis, de ea habeatur provisio: Et ne sinistra remediis eam tollas aut tardes, aut præcipites. Antè diximus ex morbi specie decisionis morbi formam intelligi. Sed cum iam in propinquo est crisis, epiphainomena id splendidè significant, quæ varia excretiones varias denotant. Ut si febris causas ad crisin veniat: eumque hæc hæmorrhagiâ, sudore, vomitu, & deiectione crisin inire possit, tu ad vomitus signa oculos vertas; huic enim caligo, capitis dolor, vertigo, cardialgia, tremor inferni labri, & tenuis saliva ex ore anteambulones esse solent. At si hæmorrhagia in procinctu est, facies rubet, lachrymæ obtrascuntur, caput pondere grauescit, tēporum venæ tenduntur ac pulsu fatigantur, calor multus; si iuuenis. At si urinae constiterint, & rigor supervenerit, & si iam dicta signa absint, & si alius officij fuerit immemor, sudore decisionem faciet: quos iam iam adfuturos, molles vndosique pulsus nunciant, & facies rubet & omnia calent vapido quodam aestu. Num verò deiectione decisio eventū habitura sit, nulla sunt peculiaris indicia ex quibus illa significatio fiat: sed aliorū inedia hanc restibilem denotat, dum modò in ἐφοδὸν suam surgat morbus. Si tunc indoluerint lumbi ex grauido dolore, qui ad pubem se effundit, ex

utero fiet deiectio; sin ad sedem, eò fiet excretio. Abscessu autem frigidi morbi maximè decisionem habent: ita species morbi. Lustrandus & morbi motus, nam longi abscessu indicantur, ut acuti & magni excretionē. Sed si imbellior fuerit ager, longi illi morbi vel longa die evincuntur, vel pressâ naturâ interiment. Hyems in abscessu est fecundior, qui abscessus mali erūt, si doloris acerbicatem, vel acrisiam, vel diuturnitatem secum adferant. Pars, ut prius dictum, ea accipiet abscessum, quæ imbellior est. Itaque vegeta in naturæ vi, ubi nulla interna pars languet, ad peripheriam abscessus excurret. laudabilis, ille, si ita è directo fiat. Ita etiam parvi morbi die solvuntur. Pars quoque affecta solutionis modum declarat: ita febres sudoribus se excutiant, nam venosum genus laborat: ita & urinis, &c. Deinde ex eisdem positis notis peruestigabimus quanam copia erupturum sit excrementum morbiferum. Si itaque aliter evenerit, atq. si copia accisior fuerit quàm morbi species, magnitudo, mos, motus, pars obseffa, humoris dominatus &c. indicant, hoc ad deterius vel ad mortem apparebit: nam nihil paucum est criticum; sed plenâ ac liberali manu effundi debent quæ criseos ideam præferent ex lege naturæ, & rarò cieri debent. Ita in Hippocratica schola damnantur τὰ μικρὰ ἐκρίσματα, ἢ τὰ ἐγγύς ἀλλήλων ἴοντα, id est, vomitiones exiguæ, & frequentes: cum enim repetitò id fit, naturæ oppresse imbecillitas in summa excernendi necessitate declaratur. Ita sanguinis

Copia

Axioma
IA.

guinis è naribus substillū, die non critico, merum, mortem iam iam futurā significat. nam nihil *ἀκρίτως* benè fit, tale est paucum: cum oppressæ vel fatiscētis naturæ signum sit, & effætorum viscerum. & ex irritata contentione naturæ, frustra- que tentatæ sanguinis profluvio major fit infirmitas, & morbus vires acquirit, vnde grauioribus symptomatis natura iam effæta opprimitur. Fit enim hæc accisio ob materiæ contumaciam, meatuum angustiam, & imbellem naturæ concussionē: propterea nihil paucum fit *καλῶς ἢ κρίσιμος*: id elucet in dysenteria & tenesmo. Hoc etiam videmus in epidrosi, id est, sudatiuncula quā tantum roscidum est caput, ceruix, & thorax, vel totū corpus exiguo sudore vnum: nā vitio & resolutione partium solidarum, ita effætarum vt alibilem succum sibi assimilare nequeant, sed elabi & diffluere permittunt, id euenit. Sed cum liberè copioseque effunduntur lege naturæ, bonum. Imortalis hæmorrhagia *τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα* à calamitate vindicat. Quæ fuit causa vt Galenus super Metone per hæmorrhagiam à morbo lethali liberato exclamet, *αἰμορραγίας λαῦραι ἐν κρίσει ῥύονται πολλά*, id est, hæmorrhagiæ multæ difficilia multa dissoluunt. Etiam ex eisdem iudiciis (nempe morbi essentia, in specie, magnitudine, more, motu, parte obsessa, humorum dominatu, &c.) notabimus in QUID abiturum sit malum; num in melius, vel deterius, num finiatur ad salutem vel mortem. Præcipua quædam ex dictis notis, exēpli causa attingam.

Præ cæteris adducamus excrementa, nam morem, & motum, & magnitudinem, & pleraque alia inde intelligemus, & ad quæ euentus morbi exiturus sit. In his notæ elucet salutare vel mortifera; & vtræque laxo ambitu: nam vt mala signa sunt vel mitia, mediocria, vel pessima; ita alia bona, mediocria, vel optima. Maxime à pepasmi capacitate vel ab ea alienatione hominum iudicium captandum. Secundò, vt hæc citò effulgeant optandū, id enim citæ coctionis signum, & salutis. Tertio, vt cōstantiā quadam perseuerent, nec crebrò euariant. Quarto, vt tempore & loco excernantur, hoc est à pepasmo, & si *εὐφορίαν* cōsecutaneam habeant: & si die critico apparere cœperint. Quintò, vt excretio fiat *κατὰ λόγον* morbi: nam alij morbi aliis placantur excretis. Talia autē excrementa maxime sunt, vrinæ, deiectiones, expectorata, sudores, naribus & ore profluentia. In his, vt dixi, notari debet substantia & contenta, qualitas, copia, tempus, & excernendi modus. Exercitationis causā iam lubenter subnecterem quam ab vrinarum, alui deiectionum, narium excretionū, expectoratorum differentiis indicentur, sed methodi lex me ab hac prolixitate excludit. aperit hæc satis ipse vbiq; Hippocrates: quare supersedeo. Nec solum excrementis animum dabimus, sed omnia epiphænomena consulemus, cum morē & motum morbi monstrent. Hippocrates optimus horū præceptor consulatur, qui libris Prognosticōn docet, quo modo à corpore ægro, &

Boni euentus nota.

eius

1. Epid.
lib. 7.

In QUID
abiturum
morbo.

eius functionibus præfagia sint legenda. A corpore, ut quo modo lubet, num sanorum more, num iactatione se fatiget stare que loco nesciat. num algeat corpus, vel æstu retortido flagret. moles corporis num ilico tabescat. num exanthemata citò enata mox se condant; ut etiam tumores. Si ulcera malam ideam induant. Sudores exiles & miliares. Partes si degenerant formam fœdentur, ut vultus & oculi. lingua si monstri quid gerat. labra tracta. dentes nigris lordibus fœdentur. Respiratio ægra. tremor artuum. liuor. omnia mala hæc sunt: nam à natura caractere aliena sunt. His adde facultatum notas, animalium in sensu principe & externis, & motu: vitalium, & naturalium ex excrementis. Hæc finem in quem abituri morbi sunt denotant. Sed similitudines bonis sæpe imponunt medicis. cum enim signa quædam morborum contumacium consecutanea sunt, ut phreniticis vigiliæ & deliria, id discriminari debet; quod enim morborum speciei consecutaneum est, prauitati morbi ascribi non debet: nam affectus solum signa sunt. vide itaque quid speciem, & quid morem morbi indicet. Postea hæc apparent; illa, vnà cum morbo. Et num illa prauitas agro peculiaris sit animaduertemus, sunt qui supini cubent &c. sed quæ longè à natura abeunt, periculi plena sunt, ut à miti homine ferox responsio. Et coctionibus morbi propriis fidendum maximè. sed quæ critica sunt signa, vide ne in his iudicium fallant. His adde naturam ægri, & ea quæ à foris sunt. Ut ætas, temperies: nam hæc

Observandum.

ostendent quibus morbis qui facile occupentur, & à quibus causis facile incurrantur & patiantur, & quis humorum dominatus in his sit. Hæc enim & morbi magnitudinem, motum, & crisis ideam etiam explicant. Et partium principum comperta sit temperies. Ut etiã habitus corporis, num densus, rarus. Distingue diligenter prauis moris signa, à criticis signis quæ cum causis criticis, hoc est, cum natura praua secernit & excernit, elucere solent. ut lachrymæ num manent ex resolutis oculorum canthis fatifcente iam naturâ: vel num à sanguine, qui cursum in caput flectit, ut per nares erumpat, obnatæ fuerint. hoc enim salutiferum: illud lethale. Ita infirmitate corporis terreri non debemus, nisi terrificam fuerit infirmitatis causam. Terrifica illa quam facit vitalis principij consumptio, neccariisque viuifici perennis exhaustio. Terrifica etiam quæ fit sine vlla vacatione, tum aspectabili, tum sensibus incòperta. Nam facultatum effatæ vires surgunt ex hepatis, cordis, & cerebri exolutione. & his recreatis, facultates vegetæ in officio suo quæque perseverant. Ut tremor in baiulis ab onere graui, nihil terrifici gerit, quia causa non est terrificam. Secus de phanaticorum tremore iudicandum, qui ab exhausto & cerebri alienatione incidit, mortemque præsentem denotat. Hæc discriminantur ex pepasmo: quæ enim ante eum appareret, morbi germina sunt, & naturæ triumphatæ. Itaque ut exitum morbi inuenias, intuearis morbi speciem: ut, marasmus factus, incurabilis est; ut & scirrhus, apoplexia

apoplexia magna. Periculi pleni morbi acuti. at Quartana periculi expers. Secundò mòrem morbi nota ex epiphænomenis signis, quæ elucent in actionibus, qualitatibus, & excrementi substantia, eiusque qualitate, copiâ, tempore, & excernendi modo. Nam horum magnitudo periculi magnitudinem nunciabit. His committe ægri vires: quæ si validæ fuerint, etiam periculosas notas eludere possunt. Et ad cruditatem & pepasum validè collinea: nû propria coctio eluceat eius causæ quæ in vitio est. reliqua tamen non contemne: conspiratio omnium certû iudicium enunciat. Peracuti & acuti excretionem maximè finem inveniunt: A quadagesimo die rarò id euenit: nam coctione longâ euincuntur: vel languidam & repetitam excretionem mouent. Abscessu qui finiuntur, comitem illam perturbationem criticam non agnoscunt: vt nulli longi morbi, nisi postea in acutum malum degenerent. Hoc tunc axioma habeatur in memoria, ex Hippocratica schola; vt tolerabilior est morbus qui validis venit viribus, quàm qui effætis, ita primigenij morbi materia est mitior, quàm secundarij per metastasin nati, non per diadochen. Præterea, omnes morbi symptomatiçi, excursus & recursus consecrarij, sunt primigeniis longè peiores: Quia materia quæ propriæ substantiæ corruptione in vitio est, partiû, in quas transfertur, œconomiam labefactat: nam pars offensionem accipit ab humore tum effero tû indomabili: qualis esse solet, qui ex priori morbo

vitium fecit. Hæc sententia summi præceptoris, τῶν νεσημάτων ὅ, τι ἄν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ γένηται ὡς τὰ πολλὰ ἀπικτείνει, id est, è morbis qui alter superuenit alteri, non rarò mortiferè habet ægrû. Nam cum infirmo iam corpore, maleficientiâ morbi præsentis, alter morbus incidit, prius proiectis viribus moritur, quàm morbus nouè adueniēs, cursum suum confecerit. Videndum etiam quâ ideâ hæc sint euentura, num facilè vel difficilè, cum fide aut perfida, perfecta vel accisa, & num optima futura sit, hoc est, quæ morbum soluit integrè, sine ægri periculo, & fideliter, per liberalem & liberam excretionem, vel num reditui morbi metus sit ab imperfecta crisi. Hoc scripsit Hippocrates, morborum reliquiæ in morbis, nempe à crisi imperfecta & inchoata, propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, aut naturæ infirmitatem: hæc, inquit, recidiuos morbos facere consueuerit primo die critico. Vt in febribus vbi empyreuma superstes est, atque eius materia: hæc enim indicio sunt, integram febrè exclusam non esse. Superstitis autem empyreumatis signum est sitis: materiæ autem, amaritudo in ore. Itaque reuertentur illi morbi, nam non sunt κενόμενοι ἢ κεκευμένοι ἀρτίως, id est, non iudicantur perfectè, & non iudicati sunt exquisitè. tales sunt ὑποσποφάδεις, ὑποσποφαικοί, vel, vt idem loquitur Hippocrates, ὑποσποφαιζέειν εἰώθειν, vel ὑποσποφάει ποίεσαι. Quia quæ restibiles sunt reliquiæ, cum illæ non sint naturæ consociales, vt assimilari possint: reliquum est vt

Lib. 1. c. 1.

Fida, & perfida. ἕκρηται, ἢ δίσρηται.

2. Aph. 12.

1. Aph. 20.

Axioma 14.

putrescant, maximeque ab empyreumate relicto. Et ab his reliquiis cibis corrumpitur; nam impurum corpus pastu cumulat malum. Dicuntur hi ἀκατάστατοι: nā incertam constitutionem habent. vt sunt illi qui ante tempus erumpunt, id est, προεκρηνύονται: vel si decernantur ante tempus, id est, προεκκείνονται: ἢ ἐγκαταλείπονται, id est, si quid restibile fiat. Sententia Hippocratis est, illi morbi qui relapsus non habebunt, excludi debent die critico, signis criticis præambulonibus, quæ indicant pepasum. Maxima enim vis pepasmi ad certā crīsim; quod his testatur verbis medendi præceptor, Πᾶν τὸ ἐκπυέον ἀνυπόστροφον. ἐσὼ τὸς γὰρ πέπασμῳ ἢ κείσις ἄμα, ἢ ἀποσασία, id est, omne quod suppurat, metuit reuerti. ipse namque pepasmus est crisis & abscessus simul. Nam triumphalis natura tunc insurgit, viis liberis atque ephodon suam molitur, eamque in signis pepasmi ostendit diebus indicibus: post autem iudicibus in liberali ac libera exclusionē succi morbifici. Hoc est, editis signis pepasmi ad tempus, & iis quæ ad speciem crisis apparent, in paroxysmo aduersus causam morbi insurgit critico die, qui ab indice denunciatus erat. Tunc fida est crisis: & εὐφροσίαν comitem habet. Nam motus omnis ad crīsin die ἀκείτω, inducit ἀκείσιαν ab inani erethismo. sed τὰ κείσιμα μὴ κείνοντα ἢ δύσκειτα, ἢ θανατώδεια, id est, iudicatoria non iudicantia; aut sunt sinistri iudicij, aut mortifera. Quare bona crisis ferè fit in ordinario paroxysmo. Nihil autem salutariter exoluitur ἀκείτως ἢ ἀσθή-

μως, nec quiescit bonis ægrotum rebus: id innuit Hippocrates in 1,3,76. proretheticis, τὰ ἐπώδωκα, ἀκείτως καταμολωθέντα φλαῦρα, id est, quæ dolorifica sine crisi residunt (loquitur de parotidibus) praua sunt. Omnia autem firmiora sunt quæ die critico eueniunt & apparent, bona malæ, ad interitum & salutem. Quæ enim apparent & fiunt ἀκείτως, mortifera sunt aut sinistri iudicij: eoque magis quò plura appareant eiusmodi, vt copia accisa, dies non criticus, & pigra excretio. Præterea vt cita coctio citam adfert crīsin: sic tarda difficilem, relapsus capacem, nec securam: nam tarditate ea segnescit viarum & succi meabilitas, & naturæ vigor. In omnibus illud notetur, epiphænomenon vnum * κείτως prauum, pluris esse debet ad interitus præsentionē quàm plura communia. propterea notandum, quænam propria sint in singulo genere indicia rerum, & quæ communia, inseparabilia, quæ suapte natura, vel materiæ, vel loci, aut alterius rei ratione suas notas præbent. hinc enim cuiusque dignitatem internoscimus. Quare diei critici, & pepasmi maxima ratio habeatur: nam morbi acuti, vno pepasmo, natura duce, viam ad crīsim inueniunt: at nulla crisis bona sperabilis, dum cruditas manet; nec vlla tunc significatio esse potest secundi iudicij: nec quicquam benè fit, quod lege critica non fit. οἱ δὲ πέπασμοι ἐν τῶν χρόνων, id est, die fit pepasmus: qui suos gradus habet, primùm inchoati, mox manifesti, tum demum perfecti. His peruestigatis, animaduertemus

Observa.

* Id est, morbi aut partu obfessa primum.

Quibus natura ACTIO. NARS.
VIAE.
 MUS PER QVÆ mutationem accipiet affectus morbifer: num finietur excretionem, alterationem, coctionem & ἀνεσις. quod ex dictis symbolis facile elucebit; vt ex morbi specie, magnitudine, motu, more, humoris dominatu, parte affecta &c. Ita etiam intelligemus per quænam loca exigetur morbificus succus: num per vrinam, aluum, sudorem, vomitum, hæmorrhagiam, per vterum, nares, sedem, &c. Nam, vt iam diximus, crises fiunt excretionem, vel abscessu. Si excretionem, id fiet quatuordecim dierum spacio: sed prærepta crisis occasione, & causa per excretionem, inclinatio fit ad abscessum; modò natura validis viribus propugnet. & diuturnorum morborum proprij sunt abscessus ad inferas partes, cum eorum difficultas in coctionis difficultate consistit, & meatuum angustia, & si tunc validæ adhuc sint vires naturæ: alioqui pro abscessu, corruptio expectanda, quæ cachexiam inuehit. hæc ita; nisi tamen post exacerbetur, vt in Cleonactide octogesimo. Nam acutorum crisis proprie fit per excretionem ἐξω ἢ εἰσω: idque iuuenibus, quorum meabiles sunt succi, & corpora, ac iuueniles naturæ motus. Longi autem morbi fiunt à crudiore succo. Et propterea diuturnorum morborum nec simplices nec vniuersimodi ferè sunt crises: maximè si huic succorum cruditati accesserit viscerum infirmitas, vnde accessio diuturnitatis. Ex his intelligamus varias euenire morborum crises pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione: imò ex his,

in vnum morbum, acutum etiam, variæ cadunt crises. Tandem ex his primùm positis iudiciis intelligemus, num vnius naturæ vi, vel ab artis iuncto præsidio hæc expectanda sint; vt scilicet id quod præsumus euentum habeat. Et si plures affectus in vitio fuerint, quam serie illi euincantur; quid primò, quid secundò cedet: vt si sensus & motus abiit, primùm redibit sensus: si tertiana & quartana affligant; primùm cedet tertiana. Hæc omnia capita absoluuntur, vt etiam initio monuimus, examine & perspicientia rerum quæ ducuntur ex morbi essentia in eius specie, magnitudine, more; motu, in celeritate, vehementia, continuatione, constantia, æqualitate, & ordine: parte etiam obsessa, humorum dominatu: & ex causis, in forma, materia, subiecto, num totum scilicet illa inuoluat, hoc est, nū magna sit causa, & num illi penitus impressa sit, & quàm robusto corpori ea insideat, si neglecta curatio, vel praua præcesserit, si non iuuant parua remedia: & ex efficiente, hoc est, quod gignit, auget, conseruat, iuuat, lædit: instrumento, sine: causa cum qua, & sine qua. ab effectibus morbi, causæ, symptomatum in actionibus, qualitatibus; & excrementorum substantia, qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. hoc est, ex omnibus quæ tactu, gustu, odore, visu, auditu percipiuntur. ex analogia cum aliis. dein ex ægri viribus, quales eæ sint huic morbo subiectæ; quod elucet ex natura communi & peculiari, vt prius admonuimus. Sed cum innumera hinc notæ sur-

Num vltro vel arte.

Ordo.

Anacephaloses.

gant, ab eo genere auspicandum, quod euidentiores profert. & si res paucis signis ostendi possit, immediata solùm & peculiaria ponenda: nam ridiculū rem notam, plurium notarū euocatione efficaciter probare velle. vbi res obscura, lucem adfer per omnia genera eundo. Ea tamen cautione, vt vniuersum genus, à quo orsi sumus, excutiamus, mox ad proxima aditus fiat; quæ eadem fide excutiemus, ne pedem referre ad eadem cogamur. Ita, si lubet, ages eundo per actiones læsas, qualitates corporis mutatas, excrementa, res naturales, morbificas causas quæ foris, & intus; partes, in quibus notamus dignitatē, robur, colorem, mollitiem, tenuitatem. Vt hæc capita, ad prædicendū, in memoria habenda, ita quidnam signa, quæ in singulis his occurrunt significant, primūm ex Hippocratis scriptis explicatum esse debet. Et perpetuò in his collinea ad vim efficiendi, & opportunitatē excipiendi. Hinc rerum omnium, quæ terra marique gignuntur causæ principiaque ducuntur. Continuò has leges æternaque fœdera DEVS imposuit rebus omnibus procreandis. Ille medicinæ præceptor nihil vnquam de morborū natura & exitu statuit, nisi κατὰ τὸ πιθανόν, καὶ τὸ ἐπιδεικτικόν, id est, ex cognitione & perspiciētia efficientis causæ & excipientis. Hæc vbiq. est eius δεινότης, vbiq. agit de cognoscendo, prædicendo, & medendo. Ita scripsit, minùs periculosè ægrotare eos quorum naturæ congener est morbus. ita, ardentes febres grauissimæ sunt Æthiopibus; nam vehementiâ

symptomatum extinguitur natura aërea. Scythæ verò magnitudine causarum earumque inueteratione opprimuntur. Quò enim diuturnior est causarum morbificarum impressio, eò firmior & periculosior est morbi repentini generatio. vt euenit Phreniticis qui per initia è potestate mentis exeunt: vbi Galenus annotauit, non esse repentinam causæ morbificæ generationem, sicut morbi ipsius.

Priusquã hinc ab eâ admonendū, vt morbi tēpora rectè perspecta sint, eiusq. status quādo futurus: id enim crisis tēpus & ideam delineabit. Morbus per actionē læsam describitur, quæ est symptoma: quare morbi tēpora ex symptomatis notabūtur. Pusilla symptomata, quantum suadet morbi species, initium morbi definiūt: ea auctiora & conlectanea epiphænomena, augmentum morbi explicant: at in statu, symptomatum plena sunt omnia: hinc in mitiorē euanescent finem. Eueniunt hæc tempora ex causarum morbificarum motu, quas pepasmo euincere nititur natura, vel vires acquirant eundo. Si pepasmo studeat natura, in lucta illa eueniunt sensim grauiora symptomata. hoc ita Hippocrates, dum materia suppurabilis abit in suppuratum, dolores & febres contingunt maiores, quàm iam confecto: tunc enim naturæ & morbi impetus sistitur. At vbi materia morbifica pepasmi est expers, vt in cancro, elephantiasi, causarum motus vltro euenit, non naturæ agitatione: vnde sua tempora tantum agnoscunt ex materiæ prauitate, quæ symptomatis

Quibus
ad hæc
opus sit.

Tempora
morborum
noscentia

2. Aph.
24.

2. Aph.
47.

tis

tis aperiunt. Excrementa etiā crudiora, morbi initia testantur, quæ per augmentum in statum protrahita, ibi cocta apparent. Sed vnde futurum noscam morbi vigorem? ex specie morbi; vt quartanæ lentè eò se erigunt: at caufus, ilico. Secundò, ex magnitudine in eadem specie, vt magna quartana citiùs percurrit sua tempora, nam irritat fortius naturam. Tertio, ex motu, nam qui vehementer, continuò, celeriterque mouentur, in *εποδον* suam naturam euocant. Quarto, ex pepasmi signis citiùs vel seriùs apparentibus, nam motum morbi designant. Quintò, ex ægri natura communi, peculiari, & ascititia: sic in ætate vegeta, calidoque corpore citiùs suam absoluunt historiam. His iunge externas causas quæ nunc & olim corpus affecere: vt æstiuæ quartanæ breues; si accedat victus sobrius, & exercitatio. Cùm iam in procinctu est vigor, epiphænomena quædam diebus criticis efflorescent; quænam illa sint vide, & eorum vires, numerum, & magnitudinem examina. Antequam iudicium proferatur de morbi euentu, sit, ex signis, triumphalis naturæ comperta vis. si vrgeatis ad prædictionem antè, respõdebis cum caudicis, nondum liquet: & semper, si nihil delinquatur ab ægro, astantibus, & iis quæ à foris sunt. Nam, vt ait Hippocrates, acutorum morborum, (hoc est, qui celeriter, vehementer, & continenter mouentur) non omnino & sine dubio interitus aut salutis sunt prædictiones. Quasi dicat, quamuis eorum propria sit crisis ferè à pepasmo &

naturæ erethismo, nõ tamẽ omnes sunt benè morati, beneque constituti, quia translatione turget eorum materia. Et in iunctis morbis, dum ab vno elucet triumphans natura, ab alio triumphata occidit: hinc medicorũ rubor: ni signa cuique morbo peculiaria collata, periculi metum exprimant: quæ si ad salutem conspirèt, & explorata si fuerit viscerum nobilium robur, ruborem prædictioni eximent. Caue à prædictione dum res sit cum mali moris morbo, qui blãda facie annuentes eludunt: examina hinc pulsus, respirationem, & somnos. Donec euident eluceat signum, nil enuncia: maximè in his qui temerè mouentur, quiq. anormè crisin edunt; vt si hæmorrhagia ex naribus fiat quartanã occupatis. Hæc hæctenus; quædam, attamen pauca, restant de Diebus criticis. Euenit vt crisis se pandat per dies: adeò vt cui eorum ascribi debeat nescias; vt si critica symptomata in apertũ se dent die septimo, mox octauus edat excretionem, quam in nonam proferat: qualis hæc censenda, ex die, crisis? Nota hinc tẽpus perturbationis criticæ: dein quando excretioni vel abscessui incubuerit natura: tertio, quonam tempore solutus sit morbus, vel lætam victoriam ostenderint res ægri. In quo itaque die plurima ex his tribus eueniunt, illi diei accepta referatur crisis: vt si septimo die excretio & solutio euenierit. Sin tres dies triplicem hunc motum habuerint, illi maximè ascribatur crisis, in quo excretio cœpit: nam hinc maximã suam *εποδον* naturam habet. Et ex euentu ipsius crisis, diei

Dies critici.

*Vigor vt
noscedus.*

*Causè vt
prædicen-
dum.*

*2. Aph.
19.*

sis, diei naturā senties; & *poesia* enim septimo consecretanea est. Vfus dies feliciores in crisin notauit. Vt qui plurimos vindicarūt à morbis, perfectè & tutò; præambulonibus signis indicati, subito incurfu, & excretionē. Inter hos primus est septimus dies: ab hoc decimusquartus. dehinc nonus, mox vndecimus. Deinde vigesimus, quē mox sequitur decimusseptimus, hinc quartus, dehinc tertius: vltimus decimus octauus: hi boni critici. Sextus opponitur septimo, in quo cūcta perfida, & periculi plena: excernit naturæ inuicta, acria, cruda, praua, fœtore immania. Hunc sequuntur octauus & decimus. frequentissimè horum sextus crisin admittit. Mali etiam duodecimus, decimus sextus, decimus nonus; rarò tamen iudicant. Tertiusdecimus nec bonus nec malus. A vigesimo ad quadragesimū, omnia sunt languidiora, & rariùs crisin admittunt: vel repetitam committunt. Inter hos antesignanus est vigesimus primus, dein vigesimusseptimus, inde trigessimus quartus, quadragesimus, vigesimusquartus, trigessimus primus, trigessimus, trigessimusseptimus. Hucusque crises eueniunt. Quæ ultra hos dies, potius in abscessum se effundunt. Si non subito excludatur morbifica causa, longā die, spes erit, vt mitescat naturæ vi. Tunc vicenis moribus natura incurrit materiā. vt quinquagesimus & octogesimus pares viribus habetur: centesimus & centesimus vigesimus: qui, cū quatuor impleat menses, initium erit quaternionum menstruorū. Indices dies sunt 4, 11,

17. Quartus indicat quid boni vel mali septimo, sexto, vel octauo eueniet. Decimus octauus etiā vigesimi primi index existimatur. Numerate incipiemus ab eo die quo lucidè violata actio in ægris cōspicua est. Ita in puerperis dies computamus à doloribus partus, quòd inde sit fons cōsecretaneorum morborum. Sed si post multos dies oboriatur febris, ex alia causa ortam existimamus, & à sensus conspicua læsione computationē inimus. Sed in intermittentibus morbis periodorum, & nō dierum ratio habenda: nec rogandum quot diebus, sed quot periodis ab eo habitus sit æger. dierū vim tunc illæ induunt. Hi itaque dies sunt veluti arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi, vltro citroque habitatum, quod ratum cuique esse debet, decernunt & statuunt. Obseruabile autem est illud in cunctis ineundis præfagiis, vt ad certam metam colliniemus, ad quam cūctæ notæ referantur. Hoc est, reputabimus num velimus pronunciare de salute, vel morte, aut de breuitate & longitudine morbi, aut de modo crisis, qualitate, & ordine. vt, si de morte, quum fatalis sit ille à natura raptus & alienatio, in quo nulla sperabilis redintegratio, mortem indigitant cūcta symbola: nam hanc alienationem testantur. Ita si de breuitate, cū breui suam conficiant historiam morbi, qui non prolixè à naturæ linea abiire; cumque hic talis sit, vt declarant indicia ex morbi essentia, causis, effectis, & analogia sumpta; breui finietur. Nisi hinc verer me violaturū esse methodicā legem,

Obseruatio

legem, lubenter subnecterem exemplum de Angina, in qua usus horum præceptorum, tanquam in viua historia explendesceret: Sed breuitas, huic argumento sacra, me ab instituto coërcet. Si quis tamen anxie talem exercitationem exigat, ne quenquam suo labore fraudem, examinet Pleuritidis historiam à D. Argenterio editã, libro De consultationibus medicis, capite duodecimo: secundã paginã folij septuagesimi quinti.

OBSERVATIO.

Mortis cause.
MORTIS causa est triplex, inflammatio inducens marasimum: venenata qualitas, qualis emicat in pestiferis febribus: & trãslatio symptomatica, quæ fit, cum pars cõtenta in partẽ continentem se exonerat, hoc est: dum pars ignobilis (per palindromen) quos exceperat succos à parte nobili (iam morã duplici putredine affectos) illi refundit; quod malis ægrorum fit rebus: hæc mutatio loci, dicitur proprie metastasis ab Hippocrate: nam hæc vox illi semper in malam partem accipitur; excepto Aphorismo 7. libri 5: Quemadmodum diadosis, in bonam partem: cum pars cõtinentis in contentam se euacuat. Periculose quis ægrotat, ex magnitudine causæ; vt senes causo laborantes, & Scoti hyeme in Scotia febricitantes. vel periculum est ex symptomatum vehementia; ita Æthiopes in febribus intereunt; & iuuenes, à parotidum dolore: vel difficultate curandi, ob materiæ recessum, vt fit in lithiasi.

CAPVT V.
DE PRIMÆ INDICA-

TIONIS PRIMA PARTE.

Qua docet, quomodo affectus præter naturam sit pellendus, sumptã indicatione à morbi natura: siue morbi simplices siue commixti fuerint. quo ordine, tempore, & qua remediiorum copia in omnibus morbis sit vtẽdum.

VBI morbus à nobis recte exploratus fuerit, ac cõpertum sit curari illum posse, methodica instituat curatio. Methodus consistit in indicationibus. Indicatio est comprehensio iuuantis ex rei natura, citra experientiam & analogisimum. Quot igitur sunt quæ nobis insinuant quid sit agendũ, tot erunt & indicationes: sunt autem, vt diximus, sedecim. Primò agam de his quæ proprie indicant; quæ sumuntur à rebus præter naturã, hoc est, à morbo, causa morbi, & symptomatice. Deinde, de iis quæ coindicant, seu quæ proprias indicationes limitant, nam & contrã indicant: qualia sunt omnia quæ in corpore sunt secundum naturam. Si igitur quis in morborum curationibus errare nolit, animaduertat vt à singulis indicationibus plenè notiones sumat: si enim vel vnus indicationis præterierit robur, curatio claudicabit. In omnibus perpẽdat, quid ad eò valens vt indicet: quid ad eò imbecille, vt omittatur. Ac vbi plures indicationes pugnant, valentiores ac plures cæteris præferantur, aliis tamen nõ omnino neglectis: nã variè interdum miscentur indicationes.

DE PRIMÆ INDICATIONE.

PRIMÆ indicatio sumitur ab affectu

Indicatio quid.

Observatio.

affectu contra naturā; ille enim est
 qui curari & expelli debet. Quic-
 quid enim præter naturam est, sui
 ablationem indicat. Cumq̄. omnia
 pereant à contrariis (quemadmo-
 dum à similibus seruantur) igitur
 affectus præter naturā, remedium
 indicabit sibi contrarium, vt eo ex-
 pelli possit. Vnicuique autem rei,
 ynū tantum est contrarium. Cum-
 que plurima morborū genera sint,
 variæ ab his indicabuntur contra-
 rietates: & cum simplices & com-
 positi sese offerant affectus, tales
 igitur & contrarietates erunt. Sunt
 enim tot remedia, quot morborum
 ideæ. Vt in partium similarium af-
 fectibus, intemperiei calidæ frigi-
 ditas: humiditati siccitas remedio
 est: vt & plethoræ inanitio mede-
 tur. Ita in instrumentorum mor-
 bis; indecoræ formationi, decens
 formatio: obstructis, reclusio: læui-
 bus præter naturam, exasperatio
 debetur: Ita in violata magnitudi-
 ne, numero, situ, & soluto continuo,
 contrariis affectibus contraria re-
 media erunt opponenda. Nec ta-
 men magni quid est, scire, affectum
 præter naturam debere tolli: nam
 & id idiotæ norunt, cum luxata re-
 duci iubeant: sed quo modo; &
 quando affectus naturæ molesti re-
 mediis opportunè pellendi sint,
 quibusque id rationibus fiat, ne-
 sciunt. Cum igitur vnus tantum ad-
 est affectus præter naturam, siue is
 similis, siue organicus fuerit mor-
 bus, hoc est, dum nulla eius causa
 adest, aut alius morbus ei iungatur,
 nullumque horrendum symptoma
 quod ad se curantis consilium re-
 uocet, sese consociet, iam tunc nas-

cetur vnica tantum indicatio con-
 trarij remedij; vt sicca ventriculi in-
 temperies solum madorem postu-
 lat. Si autem compositus, vel aliis *Plures si-
mul affe-
ctus.*
 comitatus fuerit morbus (vt ne-
 phritis, ex immanitate doloris syn-
 copen inferens) composita reme-
 dia indicabuntur. Compositi autem
 morbi, sunt vel disiuncti, vel con-
 nexi. Si disiuncti fuerint (vt qui
 consistunt in disiunctis partibus,
 quarum nec functio, nec vsus est
 communis: nec vna alteri imparti-
 tur affectum) disiuncta indicabun-
 tur medicamina; vt in linguæ &
 pedum morbis. Sin cōnexi fuerint
 morbi, talia erunt & eorum reme-
 dia. Connectuntur morbi, cum
 prior posterioris est causa: id fit aut
 societate partium, vt si affecto ven-
 triculo cerebrum in morbum tra-
 hitur; & affecto ab utero mammae:
 aut situs ratione, vt cum inquina-
 menta cerebri ruunt in artus, pul-
 mones, aut ventriculum: aut vaso-
 rum communionem, vt iecur quan-
 do germen morbosum accepit, sua
 excrementa facile in inguina depo-
 nit: & fracta caecæ, fit delirium, fe-
 bris, conuulsio: quod non franga-
 tur illa nisi graui ex casu, vnde con-
 tusio fit in chorda illa magna trium
 musculorum suræ: cumque ad-
 sint vasa magna, cor ac cerebrum,
 noxam sentiunt. Vel generis &
 substantiæ familiaritate; vt ab utero,
 cerebrum. Affectus implici-
 ti, vel sunt eiusdem generis, vt
 morbus cum morbo, vel causa
 morbifica cum causa: aut diuer-
 forum sunt generum: ii que vel
 sunt similes, vel dissimiles, vel
 contrarij: quod subscriptum pro-
 grammata

*Remedio-
rum vnde
tanta va-
rietas.*

Idiotæ.

*Vnicus
affectus.*

*Ex cōm-
muni mor-
bus.*

gramma lucidius ob oculos ponet. Quales itaque illi affectus impli-

citi fuerint, talia indicabunt contraria remedia.

Affectus impliciti, vel sunt

Eiusdem generis.

Similes

Morbo: vt in larynge asperitas, & durities à siccitate: vnde tussis & vox vitiosa. Hic similia remedia prescribemus, emplastica, & mollientia: vt syrupum violatum, cum mucagine seminis psyllij.

Causa morbifica: vt scirrhus, cum pituita viscosa copia: hac emollientia & abstergentia postulabunt.

Symptomate: vt colicus dolor cū astricta aluo: clysmate vterque affectus depelletur.

Dissimiles

Morbo, vt frigida & humida ventriculi intemperiei cum excoriatione, conuenient myrti bacca, cum sumacho.

Causa, vt cum melancholia flaua bilis. Symptomate, vt dolor colicus cum syncope: dissimile remedium ab his indicabitur, vt oleum amygdalinum dulce, cum vino maluatico.

Contrarij

Morbo, vt dysenteria, cū obstructo hepate. (pate.)

Causa, vt in hemitritico. Symptomate, vt ardor ex inflammatione, cum dolore ex frigore.

Diuersorū generum.

Similes. Dissimiles. Contrarij.

Vt morbus cū causa, & cum symptomate urgente: vel causa cū symptomate.

Medendi rationem incuntes, cogitabimus, si simplex affectus sit, an implicitus: si implicitus, ex quibus constet: & num causa adhuc illis hareat.

sistat, an ab alterius consensu enatus fuerit. Qui enim per se consistit, cum alterius causa esse solet, erit curandus: nam ita vltro eius soboles (sequens affectio) desinet. Tertio, inuestigabimus in quo genere sit morbus qui affligit, num in mala intemperie, aut conformatione, magnitudine, numero, situ, vel solutione continui. Quarto, ubi impliciti affe-

Methodus in implicitis affectibus.

citi affectus sunt contrarij (vt hydrodrops cum febre) vrgentior medicamenta maioris energix postulat. Verum in affectibus implicitis, non solum affectuum implicitorum est habenda ratio, sed etiam temperamenti corporis, & aliarum indicationum: externæ enim causæ cunctæ notari debent. Hinc adhuc variatur ars medendi: vt si fuerit oblati morbus cum causa simili, in corporis temperamento his contrario; vt in biliosa febre, aëre calente, in temperamento frigido, obnixè refrigerandum erit: temperies enim corporis est seruanda. Vt igitur distinctè & exactè affectus implicitos curemus, qualescumque illi fuerint, tria obseruabimus, ordinem medendi, tempus, & quantitatem remedij. Ordo affectuum implicitorum est proprius: nam in morbo solitario, quem non comitatur causa aut graue symptoma, simpliciter remedio opus est: vt si succus æstu incanduit, frigidis rebus ad antiquam temperiem reuocabitur: sin nimio luxu turgeat, explodatur. At in implicitis affectibus, non solum contrariis remediis pugnamus, sed videndum à cuius affectus debellatione sit exordien- dū: quod elucebit regulis septem. Tempus autè medendi, atq. quantitas remedij, & simplicibus & compositis affectibus accommodantur. Ordinis itaque ratio his regulis continetur:

1. Cùm morbus causæ implicatur, prius causa (siue ea fuerit continens, antecedens vel externa) deinde genitus affectus erit remouendus: alioqui quantum de mor-

bo accideris, tantum restibili quadam fecunditate à causa cōtinenter addetur. Quamuis interdum lenior fiat à remedio affectus, attamen non succedit perfecta curatio, nisi à remota causa: & cùm recens affectus nullâ adhuc firmâ assuetudine inhærescit, vnâ plerumq. cum causa disperditur. Sed alitius postquam impressus fuerit affectus, primò causa debellanda erit. Ita Galenus primo κατὰ τόπους in alopecia, primò totum corpus curat, hinc caput masticatoriis vacuat, tandem capiti remedia admouet. Imò sæpe cùm recens affectus nullâ adhuc firmâ stabiliq. constitutione inhærescit, sublatâ causâ, plerumque disperditur: ita initio cadentium pilorum, adolescentē curabat Galenus sola purgatione. Si hic ordo temerè vertatur, contrà euenient omnia: vt cùm quis in coxendicum dolore, ineunte morbo, acria admouet dolenti parti, non prius abscissâ doloris causâ, quæ aut pharmaciâ aut phlebotomiâ abigi deberet, ille incurabilem reddet affectum, qui curabilis naturâ erat.

1. 1. Ordinis regula in implicitis affectibus: IN CAUSIS remouendis primò tollatur externa: secundò antecedens: tertio, cōtinens: nam alia ex alia nascitur: postremò morbus contrariis remediis pellatur. Vt qui victitant cæpis, inde acrior chylus concipitur ventriculo: hunc hepar in se rapit, vnde coluies prauorum succorum: hinc in venis putredo, dein febris: febris hæc curari nequit, ni prius excindatur putredo: at hæc perdurabit, dum

Implicitis
in affectibus
vt
trāsigen-
dam.

Ordo.

1.
Ordinis
regula.

1. 1.
Vt orta
succedunt,
ita ex-
mendi
affectus.

dum focum habet colluuiem putridam humorum hepatis: nec illa eluetur, donec chyum talem præbet venter: venter dum cæpis indulget, non alium suppeditabit: igitur prima curatio incunda erit à cæparum amotione, hinc ventriculus purgandus, deinde hepar, & tunc tandem putredo & febris est arcēda.

III. Regula: Si morbi disiuncti nihil inter se consentiant, ita vt sede diuersâ dissiti sint, poterunt vel seorsum, vel simul omnes curari: minimeque refert cui primò remedia admoueamus: vt linguæ & pedis morbis.

IIII. Regula: Si morbi consentiant simul, vnius curatio alteri interim cōducatur, aut saltem nihil obstat, tunc & seorsum, & vtrumque simul sanare licet; ab vtrouis incipiendo. Vt cūm laborat hepar ex frigida intemperie & simplici obstructione: intemperiem remediis adimere licet, quæ obstructionem intactam relinquent: & obstructionem submouere manente intemperie: vel licet eodem medicamine vtrumque morbum extrudere: vt, decocto absynthij, radicum apij, petroselini, & fœniculi.

V. Regula: Si ita dissentiant impliciti affectus, vt vnius curatio alteri incommodet, tunc nec prorsus huic, nec illi, sed vtrique mediocritate quadam & contrariorum permixtione erit succurrendū: vt ventriculum frigidū & iecur calidum temperata iuuant, mixtim, vel alternatim data. Hi affectus difficilè curantur; ab vtroque enim periculum est, vt inquit ille apud Terentium: — nihil loci est segnitie neq. socordia,

Quæ si non astu prouidentur, me aut herum pessundabunt.

Nec quid agam certum est: si illum relinquo, eius vitæ timeo:

Sin opitulor, huius minas: cui verba dare difficile est.

Quare omnis occasio aucupanda, vt ea cautione dentur hæc contraria remedia, ne cūm vni studemus affectui, alterum exacerbemus. propterea Paulus, piperis grana nouem vel decem concussa leuiter, deglutienda dabat: ita ventriculo calor afflatur, nec crassiora grana hepar innadere possunt. eo modo exhibetur aqua vitæ, & cinnamomi aqua à cibo, vt aditu ab hepate arceatur: hepar interim externis fomentis placabitur, vt vnguento rosato, loto aquâ rosatâ & aceto: vel epithematis ex aqua endiuix, aceto, cum speciebus santalorum: Accipe aquæ endiuix, vncias quatuor: aceti rosati, vnciam vnam: specierum diarrhodonis abbatis, scriptulos duos: camphoræ, grana tria: misce, fiat epithema, regioni hepatis admouendū cum panno rubro.

VI. Regula: Vbi affectus simul impliciti partim cōsentiant, & partim dissentiant, ab eo auspiciandum cuius curatio alteri non officiat: & ab eo, sine quo alter non sanatur: & perpendendum, vter habeat rationem causæ. Qui alium fouet, huic remedia dabimus: vt in ophthalmia cum nebula, acribus vtendum esset ad nebulā, sed noua accresceret ophthalmia; primò igitur ophthalmia erit curanda.

VII. In morbis implicitis, ab vrgentiori, & ab eo à quo maius periculum imminet, quique formida-

VI.
Quæ sanari ante alia possunt; quæ non.

VII.
Vrgentior quæ affectus.

*Qui mor-
gnis.*

bilior apparet, auspicanda est cura-
tio. Vrgentior dicitur morbus, qui
magnus est. magnus autem est tri-
plici de causa; ex magnitudine affe-
ctus, partis dignitate, & facultatis
offensæ præstantia. Ut si conuulsio
à capite musculi puncto accersatur,
quæ debitis non placatur remediis,
transuersim præcidendus muscu-
lus: ita in neruo puncto, ne fiant de-
liria & spasmi: ita vbi impressa cor-
pori fuit luxatio cum vlcere, vlcus
sanandum est, luxatio insanata re-
linquenda: nam si hanc vnà sanare
coneris, conuulsiones lethales se-
quentur. Hæ sunt illæ cynosuræ,
quibus omnis dirigitur ordinis in
medendo ratio. His nunquam ani-
mo excutiendam hanc epidosin,
tanquã omnium epitomen, addo:

Notanda.

CONCURRENTIBVS MVL-
TIS INDICATIONIBVS, exor-
diendū ab ea est, quæ cæteras vin-
cit: vel sine qua nihil effici potest:
vel à qua omnia symptomata de-
pendent. Exemplo hoc res clarior
euadet. Si quis eodem tempore la-
boret ex cardiogmo, vertigine, &
oris amaritudine; requirer ventri-
culus linimentum: oris amaritudo,
gargarismū: vertigo, frontale. Quia
tamē omnium horum symptoma-
tum eadem est causa, videlicet re-
fluxus biliosi humoris ex hepate
malè affecto in ventriculum, quæ
pungendo ibi cardiogmum parit:
fuliginoso verò vapore in caput
elato, vertigo fit: continuitate au-
tem tunicæ, communis ventriculo
& palato, ori amaritudo infertur.
Incipiendum à bilis euacuatione,
quæ fiet vel vomitorio, vel per se-
dem cholagogo pharmaco; pro di-

uersa natura cōmuni, & peculiari.
Sed si crus obsessum fuerit inflam-
matione, contusione, varicibus ex
vlcere: adhibendæ sunt manus, ex-
hauriendusque est ille sanguis cor-
ruptus, & contusio tollenda prius-
quam ad vlcus accedas: nam his
neglectis, nulla fiet sarcosis. Tertio,
si in vlcere effera fuerit vis materiæ
& coctionis expers, vt in herpete
exedente, neglectâ vlceris essentiã
(tanquam minùs vrgente) præscri-
bes fotum aquæ calidæ; ad tempe-
randam materiæ vlceris acrimo-
niam: licet, auctore Hippocrate, illa
aqua sit vlceris essentiæ dissenta-
nea; neque, eodē auctore, nisi vino,
sunt humectāda vlcera: nam idem
hoc modo in articulis præscribit
aquam aut oleum, non vinum, me-
tu cōuulsionis. Hæc de ordine me-
dendi in implicitis affectibus. Ut
genus remedij elicitur ex affectus
genere, ita tempus exhibēdi reme-
dij intelligitur ex temporibus affe-
ctus. Talis enim erit curationis ra-
tio, qualis morborum per sua tem-
pora mutatio: vt si tumor ex mate-
ria turgidus adsit, indicabitur ma-
teriæ euacuatio: nec hoc curandi
genus vnquã mutabitur, siue mor-
bus fuerit in augmento, statu, aut
declinatione. Sed modus curandi
variabitur; vt, ineūte morbo quam-
uis vacuandū sit, non tamen id fiet
vsu resoluentiū & exhaurientium:
cū enim materia fluxu feratur,
nouum fluxum horum vsu accer-
seremus: sed vacuabimus cum iis,
quæ reprimunt influentem ac mo-
bilem materiam; quod fiet rerum
frigidarū ac astringentiū vsu: id ab
influxu vindicat partem, ac nouum
robur

Tempus

robur ei addit. in augmento euacuabimus partim digerentibus, partim repellentibus: in statu, meris resoluentibus per halitum euacuatio fiet. Hoc modo semper quod affectus praescribit (vt hic repletio, quae inaniri postulat) faciemus: sed id agemus variis modis, vt tempus morbi fuerit; nam tempus morbi, remedij vim & formam variat, quo euacuamus id quod in partem aliquam fluxit. Religiosè admodum reuerendus ille senex Hippocrates tempora generalia & particularia morborum obseruat. qui, proposito exemplo acuti morbi, pleuritidis, in illa ostendit occasionem acutam & inflexibilem esse: ac in eo edulij genere, quod omnia alia bonitate excellit, (ptisanam dico) quantum calamitatis insit, ni dextrè suoque tempore exhibeatur, demonstrat: si susque deq, aeger se impleat, priusquam os expectorato madescat, si talia discrimina in ptisana, omnium esculentorum laudatissima, quid claudis caetera adferent, non suo tempore data? Quin Hippocrates, primo lib. De victus ratione in morbis acutis, circa finem, tempus nutriendi accuratè obseruat ex morbi tempore: sed, inquit, exhibenda ptisanæ occasionem & tempus, ineunte eius vsu, cum quis iure ea in thoracis morbis vitur, hoc est, cum os humescit expectorato, totaque morbi historiam captate oportet hanc occasionem: nam cum frigidi sunt pedes (quod fit initio paroxysmi, per affectionem caloris natui, à materiae contrariae occursum, in superiori alui parte) ptisanæ vsu inhibere oportet: ne difficultatem spiran-

di adferat; dum calor ad pedes descenderit; restitutis temperatisque hypochondriis & thorace. Itaque, inquit, sibi quisque persuadeat velim, occasionem plurimum posse. Quare doctè illud ab illo amatore dictum fuit:

Temporibus medicina valet, data tempore profunt,

Et datanō apto tempore, vna nocent.

Et à Pindaro ——— ὁ δὲ καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφαίον. opportunitas, rei omnis habet caput. Quod eleganter Isocrates, τὸ δὲ ἀκαιρὸν, πανταχῆ λυσιπρόν: Intempestiuum semper triste & molestum, & absque gratia: & ne ipsis quidē Gratiis citra gratiam feceris gratū. Quare opportunè opportunitatis ratio est habenda. Eleganter, tempus vt obseruandum, depinxit Galenus, libro sexto κατὰ τόπους, in inflammatione oris. fit inflammatio ex calidi sanguinis influxu: & quia ineunte morbo, impetu sese effundit materia, indicatio à tempore morbi ducta, indicat repellendum esse: vt semper agendum est in inflammationum principiis: (nisi materia influens sit veneno cõtaminata, aut à parte principe emissa: vt cum erysipelas in inguen deponitur, à iecore germen morbosum habente) quare vitimur succo mororum, cui remiscemus cortices granatorum, balauitia vel rosas, in augmento addimus cum melle myrrham & crocum; nam astringit & coquit crocum ita, ne quid fluxuræ materiae admittat: & myrrha in altum corpus perducit caetera, & id quod influxit dissipat. in statu, vitur gargarismis ex mulsis, in qua ficus coxerunt. declinante

Occasio.

Exemplum.

malo, succo mororum addit nitrum
 & sulphur viuum; vel hyssopum,
 thymum, pulegium incoquit mul-
 fa: vt omninò discutiat. Sed maxi-
 mis laudibus nobilitauit Galenus
 dianucum. ex corticibus nucum
 viridium succus elicitur; hunc qua-
 drifariã parat Galenus, ad quatuor
 inflammationũ tempora: primam
 partem, melle coctam, pueris ac te-
 nellulis seruat: secundæ parti ali-
 quid remediorum astringentium
 adiicit, vt rosam, gallã, quã incunte
 morbo vtitur: tertiæ crocũ & myr-
 rham addit: ad quartam, sulphur &
 nitrum adiicit: vt validè elapso iam
 ac prouecto morbo digerat. Quan-
 tum noxæ agris inferant, qui reme-
 dia non tempore commodo præ-
 bent, ostendit historia Eudemi, qui,
 ex intempestiuo vsu theriacæ, in
 triplicem quartanam incidit; & à
 Galeno iterum, tempestiuo theria-
 cæ vsu, curatus fuit. Felix est, ille
 medicus, qui opportunè medica-
 mina, morborum temporibus iun-
 git: nam qui sequitur à natura quod
 trahitur filum, eam fauentem sibi
 conciliat; citra quã irrita est omnis
 medicatio. Sine alis volat, Icarium
 facturum casum, qui absque tem-
 porum notatione medicinam facit.
 Hæc de tempore. Quantitas medi-
 camenti ex quantitate affectus præ-
 ter naturam elicitur: tanta enim
 debet esse copia remedij, quantus
 affectus est: vt si bilis in vitio quæ
 est, exuberet ad libræ copiam, re-
 medium dabimus quod euacuet
 libræ quantitatẽ: si pars tribus gra-
 dibus à symmetria in calorẽ abiit,
 tribus numeris frigidũ remedium
 ei admouebimus. Hinc igitur in-

Historia.

*Quanti-
tas.*

telligimus quàm validũ remedium
 adhibendum, quo gradu recessus à
 mediocri, quo pondere, quoties, &
 quamdiu. Sed dicet aliquis, Vnde *Quæstio*
 agnoscam affectus magnitudinem?
 Respondemus, ex symptomatum
 vi, & ex natura ægri (quantum ab
 ea abreptus sit) & ex rebus non na-
 turalibus. Nam ex his pristina na-
 tura innotescit: quã animaduersã, si
 ad hanc morbi causã que morbifi-
 cæ magnitudo (ex symptomatum
 vi percepta) conferatur, planè con-
 stabit de morbi vi, & quàm valida
 decernenda sint remedia. Verùm
 inferet aliquis, Aristoteles demon-
 strauit, quòd actio saltem à propor-
 tione maioris inæqualitatis sequi
 potest: Respondemus, id intelligen-
 dum esse in generatione rerũ, quo-
 ties aliud in aliud ita traduci volu-
 mus, vt in nouum quid se vertat;
 non in rerum mixtione & contem-
 perantia: vt duos caloris numeros
 opponimus duobus frigoris ordi-
 nibus, quò mutud se se contempe-
 rent: ex mutuã enim amborum pu-
 gnã, mediocritas quædam emergit:
 nam aquæ feruenti remixta frigida
 tepentem producit; ita temperies
 contrariorum vsu inducetur. In de-
 cernenda apta remediorum copia,
 magna hinc difficultas oritur, an
 confertim vnaque vice licitum sit
 admouere medicamen tantæ copię
 & tantarum virium, quãtus est af-
 fectus præter naturã; hoc est, quan-
 tus fuerit recessus à pristino sanita-
 tis statu: an potius pluribus vicibus
 illud ac sensim & paulatim tentan-
 dum sit. Respondemus, etsi primo
 modo affectus præter naturã ilico
 elidi possit, id tamen minimè fiet
 sine

Dubium.

sine certa naturæ iactura, cum tam magna vi vtrinque cōfligatur. hinc Hippocrates dicebat: Plurimum ac repente adeoq. in vniuersum corpus mouere, periculosum: omnium enim nimium naturæ inimicum: quod autem fit vicissim & sensim, id tutum est. Verum, eo modo affectus præter naturam non tollitur: vt si quatuor gradus caloris fuerint debellandi duobus numeris frigidis; cum paulatim & amicè fiat. Quare his tribus sententiis cedit hæc res ambigua.

I. IN leuioribus affectibus par remedium, ac semel vniuersimque morbum submouens, erit ex usu: illud enim cum leue sit, vim naturæ non inferet.

II. IN extremis & periculosis morbis, ineunte morbo, præstat valentissimum adferre remediū: quia cum celeriter suam historiam absoluant, breui sunt extincturi, nisi vniuersim remedio eiiciantur. Hoc scripsit Hippocrates, cum inquit, ad extremos morbos, ad vnguem valet extrema curatio: vt in his qui ortū ducunt à symptomatica translatione, & venenata qualitate. Et acriter reprehendit Galenus Erasistratum, quinto Methodi suæ, qui in omnibus morbis, à mitioribus surgendum esse affirmabat ad maiora: nam ita medendi occasio perit: vt in rupto vase thoracis, ni ilico combinetur, postea, cum periodicis quibusdam bis aut ter sanguinem effuderit, insanabile redditur: latius sese pandente vulnere, ac erysipellate iam obsesso. Vt in apoplexia, cum celeriter suam historiam finiat, ni æquali manu illi succurratur, in-

terneccionem inferet. Vt & turgens materia, quæ orgasmo concita fertur per corpus, ilico magno remedio extrudenda: ne in viscus nobile ruat, ac enecet.

III. Morbi mediocres, sensim, blandè, & multo ocio meliùs depelluntur: est enim hæc tuta & iucunda medendi ratio: etenim nullam cōtrariæ qualitatis noxam corpori inurunt. Nec tamen adeò lentæ eorum remediorum vires esse debent, vt morbus eas non sentiat: nam cum morbus talia remedia vincat ex facili, euenit vt plerumque exasperetur acerbiùs; ac si quis flammis maioribus exiguam aquæ partem affundat, maiorem flamma vim concipit: ita & morbi. Quod si

Notandū.

mat,

uat, ad endiuuiam eundem, aut acetosam, vel ad sonchum. Hæc de prima indicationis parte, quæ ducitur à morbo, vel simplici, vel implicito aliis affectibus. Sed quia morbus frangi nō potest nisi eius causa debelletur, quomodo illa accidenda sit tradam, ac mox capite xli. hæc prosequar, & (ratione curationis) secundam primæ indicationis partem statuam.

CAPVT VI.

PRIMA PRIMÆ INDICATIONIS PARS, DE causa morbi antecedente, de eius auersione: & quomodo, & quo tempore ea sit adhibenda.

HIPPOCRATES affirmat tria corpus humanum constituere, continentia, contenta, & impetum facientia. Cōtinentia vocat partes: contenta, succos: impetum facientia, spiritus. In partibus corporis consistit morbus: in contentis morbi causa: in functionibus, quædam symptomata. Contenta autem vel proximè morbo adherent, vt in causa continente: vel morbum fouent, & continentem causam efficiūt; & hæc dicitur causa morbi antecedens. de hac iam nobis agendum est, qua tecmarfi in omnibus morbis tractari debeat. Deinde agemus de continente, hoc est, proximè morbo iuncta causa; nam externam omittimus, vt sunt ea quæ assumūtur, aguntur, admoventur: quia causarum euidentium nulla est artificiosa (quæ methodo semper transfigitur) curatio. Diximus primam indicationē sumi ab

Ordinis
ratio.

affectu præter naturam, qui triplex est: morbus, causa morbi, & symptoma morbi. Hactenus de morbis quædam peregi, quomodo, & quolibet remediis, quæue eorum copia pellendi sint. Iam ad causam morborum venio antecedentē. Interna hæc morborum causa domicilium suum habet in contentis. Cū autem contentorum ex lege nature constitutio penes tria potissimum existat; primò circa permanentiam in sede sibi à natura dicata: præterea penes qualitatem, & copiam: sequitur quòd & tria vitiorum genera reperientur, quoties vel loci, vel qualitatis vel quantitatis modum non naturalem obtinebunt. Vnde orta fuere tria summa remediorum genera: **AVERSIO**, hoc est, **REVVLSIO**, ἀπώστροφος Græcis: **ALTERATIO**: & **EVACUATIO**. **AVERSIO**, contentorum exagitationi & eorū præcipiti motui dicata est. Tribus autem modis fluit humor; orgasmo; doloris vi; aut quòd pars continens exonerat se in contentam: cū calfiunt, aut extenuantur, vel cū copiā peccāt. Est autem **AVERSIO**, tractio ruentis humoris ad locum oppositum, procul ab affecta sede, rectè & conuenienter facta; vt pars malè affecta, tuta ab eius incursu esse possit. Dixi esse tractionem, quia motus localis, est vniuersale genus, quod de attractione, repulsione, deriuatione, & auersione dicitur. Dicimus, ad oppositum locum fieri debere, alioqui non differret à repulsione: & propterea affirmamus, hæc fieri debere procul ab affecta parte quantum fieri potest; ne, quod semel re-

Remedia
unde nasci
sa.

Remissio.

Quo modo
do à deri-
uatione
differt.

pulsus

pulsum est, pedem referat. quamuis non semper hæ conditiones sese offerant: maximè tamen hac notâ abit à deriuatione, quæ, vt inquit Hippocrates libro De humoribus, fit ad latera & proxima loca. verùm Reuulsio fit procul, & vt auctor est Hippocrates, ad contraria: & reuellimus humorem illum, qui fertur per loca lege naturæ incommoda: sed deriuamus humorem, qui fertur per loca ex euentu incommoda. Etenim reuelli dicuntur succi qui rectâ coguntur vestigium vertere, ac retrocedere eadem quâ incedunt viâ, hoc est ἀντισπᾶν. sed deriuare, hoc est, προχευῆν idem est ac riuos deducere fontis. Vt si quis fontem in caput cogeret remigrare, hoc esset reuellere: Sin ab eodem fonte riuulum deduceremus, hoc esset deriuare. Quare Auersio in fontem, hoc est, in originem fluxionis humorem retrahit. ita in profluuiio mensium immoderato, secamus cubiti venam: quia à iecore & caua vena elicit: vnde in fontem reuellit sanguinem, qui ad vterum effunditur: hoc est, fluxionem in suum fontem reuocat. at deriuatio eum in aliam euocat partem vicinam. Vnde Galenus libro quarto Methodi dicebat, si iam iam validè fluxio irruit, reuellere ad contraria studebimus. ita si in superioribus partibus vlcus cõstiterit, per inferna purgabimus: si in inferioribus, sursum vomitum mouebimus. At si iam fluxio, inquit, restitit, membroque materia inhæsit, deriuare per vicina magis expedit: nam materia in propinqua faciliùs traducitur, & remedium faciliùs ex vici-

nis influxum humorẽ euocat: Verùm REVULSIO ad longinqua fit: optimum remedium inmodicæ euacuationis. at deriuatio per vicina loca ducit; vt cùm id quod per palatum fluit, ad nares deriuamus: at reuulsio fit, cùm dato pharmaco, id ad inferna reuellimus. Ita Galenus, quod per vterum vxoris Boëti ferebatur, deriuabat ad vesicam & renes, decocto asari: id autem vomitu si peregisset, Reuulsio fuisset. Naturam ducem hac in re sequimur; quæ ita agere solebat. quod hoc oraculo ostendit noster senex, Si mulieri sanguinem euocenti menstrua copiosè ferantur, vomendi finis fit: vt tamen nulla excusatio sit ruptæ vel exesæ venæ: tunc, inquit Hippocrates, vomendi finis fit: quia sanguinis ad superiora ruentis refluxu auersio fit. Quare & nos, ita affectis mulieribus, malleoli venam secabimus, imitatione naturæ, vt reuellamus sursum ruentem sanguinem. Instrumenta autem auersionis sunt venæ sectio, cucurbitulæ, hirudines, vincula dolorifica, frictio valida oppositæ partis, enema, glans, lotio calida, gallinæ calidè admotæ, fimus columbarum, cantharides, smegma, & quicquid vehementem ardorem & dolorem inurere potest. Attamen vincula dolorifica reprobatur Scribonius Largus, ex Asclepiade, vbi ait, Quatenus dolorem inferunt, attrahere videntur: quatenus constringunt, sanguinis irruptiones irritant. Respondemus, id verum esse si iuxta partem affectam ligaueris: sed longa distantia à tali noxa abest. Præterea diximus, ea ratione (auersionis

Instrumenta auersionis.

Dñ fluit, retrahendum.

Cum occupare partē deriu.

Refl.

nis causâ) cuncta admouenda esse, ut rectè fiat attractio. hoc dicebat Hippocrates *nat' ixi*, hoc est, per rectitudinem reuellimus, non mathematicam, sed naturalem, quæ secundum fibras & filamenta venarum peragitur. Hoc fit duobus modis; primo, quia est vasorum & fibrarum cursus rectus, ut hepatis gibba per vrinas reuellimus: quòd ad renes hinc proficiscatur vena caua recto ductu: à sinis autem hepatis partibus ad intestina fit succorum reuulsio: nam venæ mesaraicæ, recto elapsu ab hepate ad intestina veniunt. Secundo per rectitudinem reuellimus, cum sequimur rectitudinem diametri vel situs: hoc est, rectâ lineâ cum sit tractio, siue in longitudine, latitudine, vel altitudine. In longitudine, ut, cum supernæ partes laborât, ad infernas rectâ lineâ euocamus phlebotomiâ, pharmaciâ, vinculis, cæterisque Reuulsionis instrumentis. In latitudine, ut si dextra manus fuerit phlegmone affecta, sinistra secta iuuat: ut in ophthalmia cucurbitulam ceruici admouemus: & occipitis dolorem soluit vena frontis secta. Quare in omni Reuulsione seruetur situs: si accedat vasorum cõmercium, melior erit auersio. Sed ut perfecta fiat Reuulsio, non solum locali rectâ oppositione opus est; sed simul cum locali oppositione, necessarius est venarum & fibrarum cursus rectus: nam sic facilius, & celerius, & copiosius humores effluunt. maximè si per phlebotomiam molienda sit auersio: hinc enim necessaria venæ cum parte necessitas: ut euacuata vena, iterum

à parte proleget, & non alia à parte ableget. Hac ratione, in pleuritide dextra, non secamus sinistram venam, etsi dextrum sinistro, ratione situs & diametri, oppositum sit: captamus enim rectos cursus ipsarum fibrarum, ut à loco ægro (ab inflammatione) plus sanguinis & celerius quàm à cæteris partibus hauriatur: nulla enim vena rectis fibris è dextro latere in sinistram concedit. Et in pleuritide facta iam est inflammatio, & humor partim influit & partim influxit. fluenti adhuc humori vel fluxuro debetur auersio: at influxo, deriuatio. Quare in brachio proximo vena secta, vtrumque officium hoc peragit. est enim temperata illa ratio, quasi ex reuulsione & deriuatione: exhaurit enim aliquid ex affecta parte, & causâ morbo coniunctâ, & vnâ auertit ruentis humoris impetum; dum causam antecedentem aliò vertit. talia autem optima inflammationum remedia sunt. Rursum, in inflammatione cruris dextri, sinistram crus secamus ad auersionem: adest enim localis oppositio & recta venarum societas, quâ euocat materiam à dextro crure. His auersionis rationibus nitentes pragmatici, partibus supra clauiculam morbo obsessis, reuellere solent incisione venæ humerariæ, hoc est, in brachio externam secant venam, quam cephalicam vocant, si morbus iam præsens sit, ac irruat materia. si enim metus sit futuri morbi, nec adhuc fluat in illas partes materia, sed si iam iâ fluxura sit, auertunt remotiore sectâ venâ; in manu, quæ inter pollicem & indicem excurrit,

Horum
v. s. s.

excurrit, quam chirurgi propriè hodie cephalicam vocant. Partibus autem laborantibus mediis, quæ inter claviculas sunt & renes, auerunt sectione venæ internæ, quæ axillaris & basilica dicitur. si verò metus imminet eò ruituræ materiæ, rami basilicæ venæ secantur, qui inter annularem & medium digitum porriguntur. Partibus vtrisque laborantibus, supra & infra claviculam, auertunt sectione venæ mediæ: hæc vt ex vtrisque illis venis fabricata ac earum quasi confluxu est genita, ita ex vtrisque obtinet reuellendi potentiam: hanc vocant Medianam. huius venæ sectio cõmendatur valdè Aretæo, qui, de sputo sanguinis agens, ita ait, Cædenda est caua in cubito vena: nam facilè ex ea effluit sanguis, & est sectioni exposita, omniumq. viscerum hæc est sanguinis via. etenim vena hac superior & hæc, vnius venæ propagines sunt, quare nihilo plus superior quàm Media commodi adfert. Nam propaginum ignari sunt, quotquot stomacho & iecori superiorem venam copularunt. Renes medio loco positi, anticipites sunt; & superius & inferius iuuari possunt. Partibus morbo pressis infra renes, secatur poplitis, malleoli, vel pedis vena, quam Saphenam vocant: modò tamen plethoræ nulla suspicio sit; tum enim primò basilica, deinde saphena erit soluenda. Hac ratione in omnibus morbis, vbi *ῥεῖσμα τὸ ὀρμώμενον*, hoc est, præceps motus & affluxus adest humorum, scriptores practici inculcant historiã peragendam esse. Vt in phrenitide, & apoplexiã, si

plenitudo adfuerit, primò iubent vt interna brachij vena (hoc est basilica) aperiatur: quòd validè illa ex hepate, vbi fons & focus est sanguinis, exhauriat; cùm proximè in hepar feratur. tandem humerariam venam soluunt. Illi quidem hac serie: quam rectè ipsi viderint. præstaret enim ratione præcipitis & vrgentis mali, in phrenitide & apoplexia à plethora, primùm aperire cephalicam, & deinde basilicam: ita tritus vsu medendi ille Rases, qui centũ annos medicinam exercuit, hanc historiã peregit. Hac auersionis ex lege, pragmatici in phrenitide ilicò purgãdo, auertunt materiam morbificam à capite, ante etiam coctionem. & rectè: ne fiat absolutum apostema cerebri cum tensione. Deinde enematum initur vsus, frictiones artubus admouentur, vincula & cucurbitulæ præscribuntur. Ita in pituitosa apoplexia, vsum ineunt acrium enematum, & glandium longarum digitos sex, & corporis totius frictionum. In perpetuis fluxibus ad oculos, annulum, cuti supremæ ceruicis circa occiput, traiciunt: modus est, vt forcipe arripiatur cutis, ac validè prematur, quò sensum exuat; forceps foramẽ habeat, per quod, acu immisã perforetur cutis, vnaque crassum filum secum trahat acus, quo in vulnere, ablata acu, filum hæreat. In Italia, fili loco aureum annulum vtrinq. apertum inmittunt: postea, ne excidat, eius postrema adducunt: hic cottidie dimouetur, ita vt dolore & attritu materia trahatur, quæ manè & vesperi euacuatur. Hæc igitur, quæ per

*Cōuenien-
ter.*

*Tempus
reuellēdi.*

*Modus
reuellē-
nis.*

In peste.

*Composita
indicatio-
nes.*

omne morborum genus tam variè fundunt practici, ex hac auersionis natura profecta fuere, quæ iubet vt rectâ lineâ fiat auersio. Verùm hac methodo dogmaticæ nō sufficiunt: propterea in definitione diximus, quòd cōuenienter fieri debet. quòd vt obtineamus, obseruabimus reuellendi **TEMPVS**, & **MODVM**. **TEMPVS** & locus tunc Reuulsioni est, cū iam fluit, vel iam iam fluxura est in partem aliquam materia: & hæc causa est, cur in inflammationibus incipientibus vtamur Reuulsione: at vigentibus inflammationibus, vtimur deriuatione. Hinc methodici, dicit Galenus, libro vndecimo Methodi suæ, cap. xv. interficiebāt ægros, citra reuulsionē cataplasmata & perfusiones admouentes. **MODVS** reuellendi hac cautione obseruabitur: cauendo, ne materia contaminata trahatur per membrū nobile. Sic in bubone pestifero qui inguina inuasit, non secamus basilicam, sed saphenam: si confederit in axilla, in brachio vena aperienda erit: si emicet in thorace carbo, saphena pertundenda ilico venit. **IN** metu futuri fluxus, vnde magnus surrecturus esse morbus videtur, integra diametro vtetur, vt cū à vertigine de apoplexia veremur, cauteria cruribus inurimus: nam Galenus, laborante manu, crura scarificat. Sin fluxus materiæ morbificæ iam incepit, per mediam diametrum reuellemus. hoc fit, partim deriuando: vt in pleuritide, eiusdem lateris lectâ in brachio venâ. Interdum enim, vnâ encheirisi triplici indicationi satisfacimus, reuulsioni scilicet,

deriuationi, & euacuationi. optimum profectò remedium pleuritidis. Quicquid enim eiusmodi est, vt eadem operâ causam inflammationis reuellat, & coniunctâ educat, aptissimum eius remedium est: id in pleuritide axillaris vena secta præstat, filamentorum contiguâ re-ctitudine. Quare diligenter est notandum in morbis, num simplici reuulsione tantum opus sit, vel vnâ deriuationē & euacuationem flagitet malum. Nam fluenti materiæ debetur reuulsio: at influxæ, euacuatio ex propinquo. hinc medijs quid remedij nascitur, quod inter reuulsionē & deriuationē ambigit.

CAPVT VII.

PRIMA PRIMÆ INDICATIONIS PARS, DE causa morbi antecedente. de eius Alteratione, cū vitium fecit in prima & secunda qualitate. Et eius in praxi medica vsus.

CONTENTORVM vitia diximus in eorum esse motu, qualitate, vel quantitate. Causa morbifica antecedens quando motu suo in vitio est, quodnam remedium postulet scripsimus. iam ad qualitatum vitia venio. Contenta itaque à lege naturæ ac à sua symmetria abeunt, qualitate primâ vel secundâ. Inde varia remedia excogitata fuere, vt pristinis qualitatibus redderentur contenta. Calefactos succos corporis refrigeramus, humectos siccamus, raros condensamus, tenues incrassamus, acres & nimis separabiles illinimus, & frigidis glutinamus; viscidos abstergemus, lentos

lentos incidimus. Et qui succi prima & secunda qualitate simul in ametriam abiire, vt calidos & siccos, nimis acres & attenuatos refrigeramus, humectamus, incrassamus, & illinimus; & si iungatur his præceps motus, simul adstringimus. Horum omnium genus est **ALTERATIO**, quæ est status vnus in alium statum commutatio, ab alterante facta: vt amissa contentorum qualitas pristinae suæ qualitati restituatur. Quare, alteratio aliam contentis imprimat qualitatem: nempe illam, qua excellit remedium, id, quod illis adhibetur. Si contentum duobus numeris ad frigus inclinat, id restituemus ad motionem remedij, quod binis numeris in calorem abiit. Primo ferè ordine calent, absinthium, althæa, amygdala dulcia, aloë, agaricum, brassica, buglossum, chamæmelum, eupatorium, lini semen, ladanum. Secundo numero ferè ad calorem abeunt, anethum viride, petroselinum, arthemisia, crocum, fœnugracum, mastix, nux myristica. Tertio calent, abrotanum, ammi, asarum, anisum, arum, cuminum, cinnamonum, galanga, nigella, origanum, mentha: & reliqua eadem vi agentia. Quarto ordine calida, vt allium, cæpa, costus, euphorbium, lepidium, tithymalli, nasturtium, pyrethrum, porrum, sinapi, ruta. Verùm, in rerum calidarum usu, summa prudentia adesse debet, vt cõmodè his vtamur: scripsit enim Hippocrates, Calidum si quis diu multumque eo vtatur, his agrum damnis auget, carnis ἐκθίλωσιν effeminationem inuehit; laxatis car-

nis fibris, dissipatoque proprio carni pabulo, & inducto humore excrementitio, & neruorum præbet infirmitatem: nam eorum robur in mediocritate siccitatis consistit, καὶ γὰρ νόμος τὰς κωσιν, cerebri quoque adfert stuporem, inquit: nam sensus, motus, omniumque actionum cerebri, quasi resolutionem parit. & hæmorrhagias concitat: laxatis venis & sanguine fuso. & lipothymias: dissipatis spiritibus & resolutis membranis. hæc, inquit, mors excipit, nec vnde sanguis fluit, aut vnde metus hæmorrhagiæ, est calfaciendū. Quare moderatè calidis vtendum. **FRIGIDA** in primo ordine, vt atriplex, hordeum, pruna, malua, myrtus, pyra, rosa, viola, cydonia mala, &c. eandem vim redolentia. Secundo numero frigent, cucurbita, lactuca, endiuia, persica, plantago, acacia &c. Tertio gradu algent: caphura, portulaca, mandragora, hyoscyamus, semperuium, santala. Quarto: cicuta, papauer, opium. His minimè diu multumque sine cautione vtendum: nam frigidum, inquit Hippocrates, si quis eo inconsideratè vtatur, spasmos & rigores adfert: nam exitu omnia corporis inquinamenta prohibet. frigus, inquit, ossibus ac cerebro bellum indixit. In his autem frigido vtendum audacter, vnde hæmorrhagiæ metus imminet, nisi in pectore fuerit malum: nam in quibus frigoris summa sunt omnia, hæc pectori inimica sunt: etenim sanguinis & spiritus vias intercipient, ipsiusque thoracis naturam (quæ cartilaginea est) labefactat: quod multo calore gaudeat ad vitam fouendam.

Alteratio.

Calida.

Cautio cõseru aduentur calida.

Frigida.

Cautio cõseru aduentur.

Humida.

dam. Madent in primo ambitu humoris, buglossum, glycyrrhiza, endiuvia, malua, saccharum: Secundo ordine, atriplex, cucurbita, lactuca, pruna, portulaca, violæ. Tertia serie humescunt, cucumerum, cucurbitarum & lactucarum succi. Sicca: ut brassica, beta, chamæmelum, crocum, fœniculum, faba, hordeum. Secunda serie, arthemisia, anethum viride, balauſtia, mala cydonia, plantago, lentes, mastix. Tertio loco arida, asarum, anethum siccatum, acacia, aloë, acetum, cuminum, piper, sal. Quarto siccant recessu, allium, nasturtium, ruta syluestris, sinapi. Hæc ut commodè intelligantur, in primis symmetrum medicamentum ponere oportet, quod neque excalfacit, neque exsiccat, nec frigefacit, nec humectat, nec alia qualitate præcellit. Quod verò aut feruidius, madidius, algidius aut aridius fuerit, à vincente seu superante potentia nomen sortietur. Porrò per vnumquenq. excessum quatuor ambitus posuisse, quod ad vsum spectat, sufficit. Calidum quidem nominantes primi ordinis, quod nos excalfacit, non tamè euidenter, verum vt insuper opus sit dogmatica demonstratione: sic frigidum, humidum, & siccum, quod demonstrationem requirat etiam, nondum facultatem validam adeptum. Quæ verò aut manifestè calfaciunt, aut humectant, aut siccant, ea secundi numeri esse dicentur. At quæ iam vehementer quidem, non tamè summè, tertij. Quæ verò tantum feruoris habent quocicatricem inurant, quarti. Sic quæ vehementiùs refrigerant, adeò vt

*Latitudo
& ambi-
tus gra-
dium.*

extinguant, & ipsa sunt quarti ordinis. Cæterum, nullum inuenire est, quod quarto ordine deficcet, quod non etiam vrat. hoc tamen tertius ordo siccantium admittit, vt omphacium, alumen, galla: quamuis vicina quædam sint adurentibus, vt æs vstum, anceps inter tertium & quartum ordinem. Ita & in secundo, & quarto, differētias constituere licet triplices: non enim eadem vi vrit cauterium ac napy, licet ambo sint quarti ordinis. **IN** **SECUNDA** qualitate si humor à sua symmetria abierit, secundis qualitatibus in pristinam temperiem reponendus erit. Voco secundas qualitates, quæ, cum primæ suas operationes ediderunt, postea proferuntur. Calidum calfacit, postea aperit: frigidum infrigidat, postea densat. Si igitur rarior fuerit succus corporis, erit eòdenſandus. Est autem condensatio, incrassatio rei raræ, facta à frigore moderato, & siccitate astringente. originem ducere videtur ex frigido aqueo: nam nimia siccitas inane reddit: quia exasperat & succum exhaurit: vt lentacula palustris, psyllium quibusdam, portulaca, semperuiuum, tribulus viridis, radix rubi, acacia. Illinitio seu emplasticatio, est friabilis materiæ incrassatio, facta à modico calore iuncto crassæ & tenaci materiæ, vt materia in se cohæreat. Si enim calor nimium ferueret, tenues partes in auram dissiparet, ac duresceret id, quod restibile maneret: sed humidum aëreum tepens, modicè peruadens, emplasticationis auctor est; vt cera, lithargyrum, oleum recens, amyllum, gummi, oryza, symphytum,

*Secunda
qualitatis
vitiæ.**Condensatio.**Illinitio.*

phytum, crocum, cupressus, fœnugræcum, liliū, mastix, styrax, pix, vitulini pedes & porcini cocti, chondrus. Rarefactio densitati opposita, quam attenuat calore cum aërea humiditate, quò spongiosa res euadat; vt anethum, adiantum, abrotanum, mercurialis, chamæmelum, radix chynæ, farzæ parillæ, lignum guaiacum, althæa, fœnugræcum. Absterfio est inanitio locorū viscidis succis obessorum, facta à siccitate tenui, cum moderato calore, vel frigore; vt succus limonū, hordeum, farina fabarum, furfures, lupini, iris, scylla, vrticæ semen, saccharum, mel, eruum, absynthium, amygdalæ amaræ, asarum, abrotanum, capparū cortices, tamariscus, scolopendrium. omnia amara, salsa, nitrosa, & quædam acria dulcedini remixta. Incisio, lenta diuidit valido calore in tenui substantia posito. vt, anisum, ammi, carum, fœniculum, cinnamomū, piper, zinziber. Emollitio, quæ induruere, remediis calidis cū modica siccitate, ad molliem reuocat. hoc facit adeps caprinus, & hircinus, anserinus, taurinus, gallinarum: althæa, ammoniacum, bdellium, cera, crocus; cupressum quidā addunt, fœnugræcum, galbanum, ladanum, linum, laurus, mastix, malua, medulla ceruina & vitulina, opopanax, oleum susinum, Sicyonium oleum, radix cucumeris agrestis, pix arida, styrax. Indurant, quæ frigida sunt; vt semperuiuum, portulacæ, solanum, lentricula palustris, psylliū. Laxandi tot sunt species quot tensionū: Nā cūm tensio fiat vel siccatione, refrigeratione, inflammatione, repletione, vel

scirrho: igitur quædam laxabunt humectādo, alia calfaciendo, emolliendo, aut purgando. Obstruunt ea, quæ constant ex sicca & cogente materia: vt ferè frigida & partium crassarum: alumen, aloë, balauſtia, bolus, chalcanthum, corallium, hæmatites, myrtus, acetosa, plantago, rosa, sanguis draconis. Repellunt quæ frigida sunt cum crassis substantiæ partibus: vt enim illud calidum quod tenuissimum est, maximè vrit: ita frigidum quod crassissimum est, maximè frigefacit. His rationibus, pragmatici, humores aberrantes à propria natura reuocant. Quare cūm bilis acrimoniā & tenuitate vitium traxit, vnde modò huc & illuc rapi contingit, hanc refrigerāt & illinunt emplasticis: quò crassior reddita materia, non tam præcipiti cursu & quasi cæstro orgasmi cōcita & iactata huc & illuc feratur. Hæc est ratio, cur practici in omni morbo à bile vtantur refrigerantibus, emplasticis, & crassificentibus: vt in phrenitide, in sumendis, admouendis, educendis, faciendis cuncta contra causæ, hoc est, bilis qualitatem pugnant. Aërem herbis frigidis, aquâ rosatâ, & aceto quantum possunt refrigerant: fructus exhibēt acidos, poma, pruna, pyra, portulacæ brachiatos ramusculos ex aqua coquunt, cum aceto & pauco oleo exhibent. acetosam ex sero cōtusi lactis coquunt; serum pro potu est. endiuuiam, spinachiam, caseum recentem, aphrogala, & neruosas glutinosasque animalium partes offerunt: vt porcellorum, veruecum, vitulorumq. pedes maceratos primūm aceto. & cibi lau-

Obstruentia.

Repulsa.

Vusus horum.

Bilis vt alteranda.

Rarefactio.

Absterfio.

Incisio.

Emollitio.

Induratio.

Laxatio.

bi laudantur in aceto & agresta cocti, & cum succo aranciorum, malorum citriorum, limonum, granatorum, & cydoniorum. Potum præbent ex aqua hordei, cum pauco coriando vel iulepo rosato aut violato. fugam indicunt iræ: hæc enim tenuat bilem. abigunt curas, studia, & mærores. Ita in hepatis inflammatione à bile, victum præscribunt frigidum, adstringentem, retrudentem materiam ab hepate, & fluxuram incrassantem, conuiuentibus inde hepatis poris. Sed hæc mitiora esse debent: ne viis hepatis contractis, obstructio in eo excitetur: aut nimis refrigerando, in duritiem ex inflammatione abeat: aut sanies quæ ex inflammato sudat hepate, exitu prohibeatur. ob id, vtrisque satisfaciens, & vitio & membro, præscribunt non validam refrigerantia, & obstruentia, & his remissent quæ aperiunt leniter ac detergent. qualia sunt syrupus rosatus, & de eupatorio, ex hepatica, ex succo oxalidis & cydoniorum, cum aqua vel decocto solatri, endiuia, oxalidis, foliorum & radicum plantaginis: quæ refrigerant & adstringunt. addunt aquam cichorei, adianti, lupuli: quæ etiam aperiunt & extergent. Eadem serie curationem transigunt in aestu flammeo lienis, renum, & vteri. Si sanguis suam qualitatem deposuerit, eadem ferè victus ratione utemur qua in peccante bile: aer sit frigidus, turba hominum fuganda, aspergenda folia rubi, iunci, flores nymphææ, rosarum, violarum. Cibis eadem qualitate sit præditus: vt ptisana antiquorum, quæ fit ex vna parte hordei

*Sanguis
vt alterandus.*

mundati & viginti partibus aquæ, coquuntur dum in pulvem abeant, hæc, ptisana dicitur antiquis: si pulis per setaceum traicitur, succus ptisanæ vocabatur. Utuntur & hordeo cocto ex iure pulli, & si rapido incandescat sanguis aestu, sintque omnia caloris plena, remissent semina papaueris, & frigida semina maiora. Pisces commendantur fluuiatiles: quia sunt frigidi & humidi. oxylapatho indulgent (*patientie nostra lingua*) & cucurbita utilis. Condimenta recreant ægros ex arancis malis & citriis, actu frigida, si ventriculi frigus non impediatur. Venus inutilis & ira. His ex eisdem legibus practici in hæmorrhagia refrigerant & adstringunt vias cibo glutinante. Utuntur pedibus & capitibus vitulorum & veruecū, cum succo granatorum, & rebus aceto coctis. Caseo indulgent recenti & pingui: ad placandum aestum sanguinis. vtque incrassetur eius tenuitas & obtundatur bilis acrimonia, laudant albumina ouorum: quod paucum sanguinem gignant. Aquam chalybeatam potui miscunt, & obsonia ex eadē aqua coquunt. Quietem indicunt corpori & animo: quod vterque motus, succos extimulet in fluorem. Ita in sputo sanguinis remissent varias vires, quod refrigerent, siccent, astringant, & itlinant; vt lac coctum cum farina hordei, vel amylo, inspersis granis malorum punicorum, oryza, auena. Piscibus à viscidis non abhorrent, quales cyprinus, anguilla, tinca. vbi que quietem laudant: nam motus in fluxum & motum præcipitat sanguinem, somno & silentio indulgent:

*Ptisana
veterum*

gent: nam hæc fluxiones sistunt. Partes laudant animalium extremas, nervosas, & cartilaginosas, coctas ex aqua chalybeata cum portulaca, vel radice symphyti. Bilem eleganter alterant hæc; succus citreorum malorum & inde confectus syrupus, ex mera bile natis studet humoribus, & in pestiferis febribus nobile remedium est: datur ex decocto vel liquore stillatio cichorei, aut endiviæ, acetosæ, plantaginis, portulacæ, lupuli. Totum malum citrium coquitur ex aqua rosata, dum in tabem eliquescat, saccaro perlato asperso dulcedinem bibit: illud in pestiferis ardoribus omne contagium eluit. Syrupus de agrestia & syrupus rosatus æstum temperant. Victus ratio respondere remediis debet. sit igitur panis seminibus remixtus frigidis. decocto utatur hordei. carnes coquantur iunctâ lactucâ & spinachiâ. & piscibus affundatur succus acetosæ, parum cum aceto & butyro coctus. acetosæ concisa folia coquantur ex aceto & butyro. Pisces falsi his succis inimici sunt. Coquitur lactuca cum endiviâ & acetosa, foliis quibusdam adiectis cichorei, cum pauco aceto & butyro, biliosis gratum edulium. pyra, pruna, & poma domant bilem. Coquantur edulia, ita ut eorum iusculis semina melonum, cucumerum, ac peponum nodulo excepta incoquantur: interdum semina papaveris addimus, & nonnunquam omphacium remiscemus & granatorum succum acidum. Sint iuscula imbuta boragine, acetosâ, lactucâ, prunis, ac redine citriorum, ac acetum spirent: nam ut prodidit Hip-

ocrates, αἱ ἀπὸ ὀξέως ὀξύτητες μικροχόλοισι συμφέρουσι: τὰ μὲν γὰρ μικρὰ φλεγμάτων. omnis quæ ab aceto vis in rebus sumendis micat, biliosis prodest: etenim amara resoluuntur & pituitescunt, veluti ab aceto subacta. Vbi bilis æstu torretur, miscbimus frigidiora cibis & remediis. vbi sanguis flammam concepit, mitioribus utemur. Carnes nullæ vsui sunt vbi sanguis in vitio est, sed piscium magis vsus erit ineundus. Pituitosus succus naturâ cum algeat, facile in crassitiem restagnat, lentaque viscositate molesta est. quare agrè ex corpore pelli potest: non enim facile cedit nec naturæ expellenti, nec pharmaco trahenti. Quare ut his officiis comoda reddatur, quinque videntur illi opus esse, calore, siccitate, attenuatione, absterfione, & incisione. Hanc historiam peragunt pragmatici in omni morbo à tali materia enato. ut in dolore capitis à materia humida & frigida excitato, præscribunt in victu panem coctum cum aniso, melanthio, saccharo, biscoctum panem utilem dicunt, carnes assas commendant aromatibus asperfas. attamen ab illis quæ caput vaporibus replent abstinent. cum salvia, betonica, satureia, origano, mentha, hyssopo, thymo, maiorana, nuce myristica, zinzibere, pipere, roremarino, petroselino, aliisque herbis tenuantibus, carnes naturâ calentiores condiunt. Capparium vsus est cum passulis, vel cum aceto passulato. Vinum generosum offerunt calentibus herbis medicatum, sed paucâ copiâ, & maximè purgato prius corpore. omniaque alimenta pauca

Pituita
ut alteranda.

vsus.

Bilem &
sanguinem
alterata.

vsus.

& rara: victus enim tenuis & tenuans hinc utilis est. Aërem præscribunt calidum, & siccum, naturâ, vel ex suffitu caryophyllorû & cinnamomi, vel foliis lauri. Laudantur exercitia, vigilia, iræ, & studia. Ita in omnibus quæ assumuntur, admouetur, aguntur, illud studium admouent; vt quantum fieri possit, pituita quæ in similem sibi intemperiem facile abit, ad suam naturam redire possit: cum enim sit naturâ frigida & humida, facile in lentorem, crassitië, & viscositatem abducitur. Pisces salsi potius conferunt (nisi salsa sit pituita) quam recentes. Ciceres, & ficus laudantur, & allium, porrum, cæpa, fæniculus, anisum. Ceruisia cum saccharo utilis. optimum autem est in his succis melicratum: nam, inquit Hippocrates, abstergendi quâdam vim habet, & mictorium est. Hac lege dant practici in hepatis obstructione ex pituita (à materiæ morbificæ huius coctione) vinum tenue & album: vt vrinas moueant. radices quoq. præbent cichorei, apij & fæniculi. fugiunt autem vsum rerum frigidarum, crassarum, crudarum, & acerbarû: quod hæc pituita studeant. Hoc modo in renum obstructione à pituita viscida, glutinosum caseum vitant: ne malum in calculum abeat. pedes vitulinos & porcinos fugiunt, ac somnum diuturnum vitant. Ita in infarctu venarum vteri à pituita, præbêt allia, cæpas, sinapi, porrum, crocum, zinziber. Eo modo transigunt in apoplexia, epilepsia, paralyti, tremore, asthmate, lumbricis, catarrhis. nam in his vtuntur oxymelite simplici,

& scyllitico, syrupo de stæchade, de hyssopo, de corticibus citriorum, & rebus omnibus quæ immoderationem pituitæ superare possunt.

Melancholicus autem humor cum naturâ sit frigidus & siccus, ad cõsimilem intemperiem facile abripitur: quare ille maximè calore & madore reuocabitur ad suam naturam vnde abiit. Propterea in omnibus morbis inde natis, pragmatici temperatis rebus vtuntur, aëremque traducunt ad calorem & humorem, decocto maluæ, althææ, & violarû rigant aërem. de flatibus in cibo cauent: propterea semen anisi & fæniculi pani aspergunt dum ille fingitur, & hordei pulticulam cum saccharo exhibêt. Carne elixa potius quam assa (ob madorem quem aucupantur) vtuntur. Comendant carnes gallinarum, perdicum, veruecum, hædorum, coctas cum passulis & aromatibus. porcina nam laudant recentè: quod caleat ac humescat, modò eius viscositas quibusdam adiectis abstergeatur. Pisces vtilis affirmât petrosos, aromatibus conditos. oua sorbilia in hoc succo placent, borago cibus adiiicitur, calendula, corinthiacæ passulæ, & melissa, quæ, vt scribit Auicenna de Viribus cordis, melancholicos vapores purgat à spiritibus cordis, vnde & latitiæ auctor euadit. & ex his vtuntur vino medicato. id autem sit album dulce, non astringens: nihil æquè succum melancholicum recreat ac vinum. quare Arculanus dicebat, peculiari quadam ratione vinum in melancholia conferre: quod effluuia atra à spiritibus excutiat, quæ alioqui

Melan-
cholia vt
alterada.

Vinum
præcellens
remediū.

arum-

ærumnosas cogitationes adferunt
 menti, rationemque inde compo-
 nit, & corporis habitum reparat.
 quod optimum dicit esse in melan-
 cholicis remedium. Sacchari vsus
 in vitio huius succi commendatur.
 & in morborum progressu vtuntur
 radicibus petroselini, pomis dulci-
 bus & pyris. **C A V T I O** sit de
A C E T O, quod, vt auctor est Hip-
 pocrates, melancholiae inimicū est:
 nam, inquit, ex eo fermentatur me-
 lancholia, maioremque acquirit mo-
 lem, & accessione quasi incremen-
 tis augetur. Somnus huic succo
 utilis: & animi lætitia exoptanda est.
 refert enim Plinius, Quintum Fa-
 bium Maximum, multis hostium
 millibus cæsis, à quartana fuisse li-
 beratum: id naturaliter lætitia eue-
 nit. Medicamentis blandioribus
 practici in hoc humore vtuntur, vt
 syrupo de pomis, de fumo terræ, &
 epithymo, cum duplo decocti bu-
 glossi, cichorei, scolopendriæ & lu-
 pulorum. Ita transigunt in rebus
 admouendis: admotione odorum
 gratorum & blandorum somno stu-
 dent, & fotibus partium extrema-
 rum operam dant vt mulceatur ari-
 ditas succi, ex decocto lactucæ, fo-
 liorum salicis, seminum papaueris
 & lactucæ. Adhibent & lenes fri-
 ctiones, & illitiones ex oleo nym-
 phææ vnguentoque populneo, vt
 somnus concilietur, quo frequen-
 ter ob ariditatem spoliatur. est enim
 nihil aliud somnus, quam vinculum
 primi sensitivi, quod rigatur ana-
 thymiasis, hoc est, suavi vapore. eo
 fraudantur his succis obnoxij ho-
 mines. Hic humor difficilè excludi
 ex corpore potest, est enim qua-

si terræ soboles immobilis, quare
 semper blandioribus remediis ten-
 tandus erit: alioqui, inquit Gale-
 nus, in rabiem vertitur, non aliter
 ac rabidus canis, qui non laceffi-
 tus, quiescit: at extimulatus, ferocit
 atrocissimè. Plato in Timæo scri-
 psit, suas ætates hos succos habere,
 quos si ante maturam iuuentam irri-
 tes, sæuiunt, inquit, ac geminant
 morbos. Talis autem maximè me-
 lancholia est, quæ serò coquitur.
 quare olim nullus erat morbus qui
 æquè medicos fatigabat ac **Quarta-**
na, huius succi soboles, adeò vt De-
 mocritus scripserit, illam solam pol-
 lutionibus curari; & Plinius dice-
 bat, medicinam in **Quartana** nihil
 pollere. & Priscianus medicus, li-
 bro quarto ad Eusebium, inquit,
 Veteres vocasse **Quartanas** Saturni
 filias. Si verò remixti humores in
 vitio fuerint, & alimenta & reme-
 dia mixta offerri debebunt: ea sem-
 per lege, vt collimemus ad humo-
 ris dominantis copiam, vel vim:
 etenim maximè luxurianti humori
 primo loco remedia danda erunt.
 Vt si humor in vitio fuerit calidus
 tenuis, & vnà crassus & lentus, pra-
 ctici hunc maturant syrupo aceto-
 so simplici, qui, aceti vi, crassa inci-
 dit, glutinosa attenuat, ac frigore
 aceti vim feruidam bilis reprimat;
 & vt pituitæ acerum iniuriam non
 sit, radices aperientes ei remiscant.
 Ita syrupo vtuntur de diabus radi-
 cibus, & syrupo de quinque radici-
 bus, & Byzantino: vbi vel bilis &
 pituita peccant, vt in tertianis no-
 this, vel validè aperiendū cum fue-
 rit. Et practici in aperiendis his
 syrupis hunc seruant ordinem, vt

*Quarta-
na.*

*Vbi mul-
ti humo-
res pec-
cant.*

*Ordo in
aperien-
tium usu.*

primò exhibeatur syrupus aceto-
sus: secundò, de duabus radicibus
sine aceto: tertio, dant syrupum
de duabus radicibus cum aceto:
quartò, exhibent syrupum de quin-
que radicibus: quintò, vsui illis
est syrupus Byzantinus sine aceto:
sextò Byzantinus cum aceto. Sed
Cautio. in vsu horum syruporum hæc cau-
tio adsit, vt cum æger diu multum-
que his syrupis vsus fuerit, ne at-
tenuatione & frigiditate humoris
in hydropem tandem abeat: qua-
re perpetuò succedat quidam re-
rum roborantium vsus, qualis est
trochiscorum de absynthio, vt scri-
ptulus tandem talis remedij vnà
Vitus. his syrupis iungatur. Hæc itaque
causæ antecedentis vitia (cum qua-
litate peccat) maximè domantur
commodâ victus ratione: quare,
quibus facultatibus prædita sint
alimenta, exactè ex Galeni libris
de Alimentis descendum, & ex
Hippocratis libris de Diætâ. Quæ-
dam morborum genera cedunt
his remediis: ita Galenus in feбри-
bus egit continuis, nec purgatio-
nibus ibi admodum indulget. &
in intermittentibus raro purgat: vt
in tertianis, & in pituitosis raro,
& interuallis leuia pharmaca præ-
scripsit: pharmaca enim benignæ
substantiæ aliquid atterunt, dire-
ptis naturæ opibus. Maximam al-
terantium medicaminum copiam
tradidimus libro secundo.

CAPVT VIII.

PRIMA PRIMÆ INDI-
CATIONIS PARS, DE
*causa morbi antecedente. Quomodo
ea sit purganda. & quæ sint Purga-
tionis cautiones. & de tota Purga-
tionis tecmarfi.*

IN contentis morbificas causas *Ordinatio.*
suum domicilium habere tradi-
dimus. ac contenta à sua natura
abire diximus, cum vel pristinam
suam qualitatem exuunt, aut lo-
cum mutant, aut cum copia in vitio
sunt. Quæ remedia motui eorum,
quæ qualitati mutatae debeantur,
hactenus peregrimus: iam ad copiam
vitia venio. Si itaque humor nec vi-
ctus optimâ ratione nec alteratio-
ne medicamentorum ad genuinam
naturam reuocari poterit, omnino
è corpore eiiciendus erit. Hoc au-
tem duplici modo fit, vel vtili cum
inutili humore reiecto, in phlebo-
tomia: vel inutili tantum, vt in
pharmacia, cum medicamentis pur-
gatoriis vtimur. Vt enim cuncta
terræ nascentia congenitum succum
in alimoniam attrahunt, vi attra-
ctrice; ita & aliæ res, cognatione
quadam, in rem similem abripiun-
tur. Si lagenam aquæ plenam aceruo
frumenti obruas, quauis bene ob-
turatâ, elicietur humor: lupini sub
vitibus ponuntur vt amarum exsu-
gant: elephantum dentes (quos
Ælianus & Iuba cornua vocitant)
decidui cum sint senectâ aut mor-
bo, elephantum defodiunt: venato-
res, quò sese elephantum illatebrant,
vteros aquam turgidos deferunt: si
absorptam hanc redeuntes inuene-
rint; ibi ebur effodiunt. Attrahunt
igitur

igitur concordia quadam sese res mutuò . est autem triplex causa attractionis, fuga vacui, caloris vis, & concordia à tota substantia. Succum morbifici purgatio peragitur à pharmaci specifica vi. Hoc primus omnium prodidit Hippocrates, primo De natura hominis, ubi id probat analogia: perinde ac fata & stirpes sibi prolectant (cum omnifarium terræ insit) cõueniens, primum exsugunt id quod maximè illis gratum fuerit, hinc alia quæque: ita, inquit, ad se succos rapiunt pharmaca. Est enim PURGATIO, humorum qui qualitate in vitio sunt euacuatio (artificio comparato ad imitationem naturæ,) per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea. Ea autem vacuatio fit similitudine, qua trahitur humor similis ad simile remedium, ut magnes ad ferrum, &, ut inquit Auicenna de viribus cordis, ut electrum festucas trahit. Hæc autem similitudo pendet ex intimo principio. A nostro calore remedium in minimas partes redigitur, & remedij calor natiuus excitatur. quare, quod tenuiora fuerint, eò promptius officium facient. Similitudo enim pharmaci imbuens ventriculum sua facultate attrahendi, facit ut ventriculus cogatur, interim immemor sui officij, violenter attrahit, & nunquam desistit, quoad remedij vis resoluta fuerit, & à naturali calido deuicta. Propterea dicebat Hippocrates, cum purgare consilium est, corpora debent effici meabilia: liberatis obstructis, excitataque naturæ vi, & præparatâ materiâ: ne fiat via vi, sed sine offensione par-

tium, placidè, inoffensoque cursu humor ad exclusionem feratur, utque naturæ expellenti, & remedio trahenti cedat. ita hanc exclusionem ager feret alacriter, quæ tolerantia, optimum optimæ purgationis signum erat Hippocrati. Quin & hac ratione humor debet obtundi, si nimis acris fuerit: ne, cum violenter attrahatur, in transitu abra-dat partes internas eius acrimonia. Sed ut rectè instituat purgatio, quatuor res rectè perpendere debemus, affectum præter naturam, locum morbo obsessum, & vias per quas ducendus est humor, medicamentum quo vtendum, & circumstantias. Sed antequam ad hæc deueniamus, primum perpendendum, an sit purgandum nec ne. Erit purgandum, si morbus qui à materia pendet, vitium fecit in his quinque conditionibus quæ ad absolutam morbi crism requiruntur. Primum, si totum quod euacuari debebat, non euacuatur à natura, sed aliquod empyreuma restat, & morbi materia. superstitis empyreumatis signum est sitis: materiæ autem, oris amaritudo: hinc purgandum. Sed si nulla cacochymia superstes fuerit, unde in sympathiam reliqua trahi possint, à purgatione abstinendum: ut in ictero febre defuncto, & exanthematis puerorum lædit pharmacia, balnea cõferunt. Hæc occultò dicebat Hippocrates 2. Aph. 15. Sin restibilis fœditas fuerit, pharmacia vtendum: nã inquit 2. Aph. 12. quæ in morbis relinquuntur à crisi inchoata & imperfecta; tunc propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, & naturæ infirmi-

1. Aph. 2.

Quæ notanda ut commodè instituat purgatio.

An purgandum.

igitur concordia quadam sese res mutuò . est autem triplex causa attractionis, fuga vacui, caloris vis, & concordia à tota substantia. Succici morbifici purgatio peragitur à pharmaci specifica vi. Hoc primus omnium prodidit Hippocrates, primo De natura hominis, ubi id probat analogiâ: perinde ac fata & stirpes sibi prolestant (cùm omnifarium terræ insit) cõueniens, primum exsugunt id quod maximè illis gratũ fuerit, hinc alia quæque: ita, inquit, ad se succos rapiunt pharmaca. Est enim PURGATIO, humorum qui qualitate in vitio sunt euacuatio (artificio comparato ad imitationem naturæ,) per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea. Ea autem vacuatio fit similitudine, qua trahitur humor similis ad simile remediũ, vt magnes ad ferrum, &, vt inquit Auicenna de viribus cordis, vt electrum festucas trahit. Hæc autem similitudo pendet ex intimo principio. A nostro calore remedium in minimas partes redigitur, & remedij calor natiuus excitatur. quare, quò tenuiora fuerint, eò promptius officium facient. Similitudo enim pharmaci imbuens ventriculũ sua facultate attrahendi, facit vt ventriculus cogatur, interim immemor sui officij, violèter attrahit, & nunquam desistit, quoad remedij vis resoluta fuerit, & à naturali calido deuicta. Propterea dicebat Hippocrates, cùm purgare consilium est, corpora debent effici meabilia: liberatis obstructis, excitataque naturæ vi, & præparatâ materiâ: ne fiat via vi, sed sine offensione par-

tium, placidè, inoffensoque cursu humor ad exclusionem feratur, vtque naturæ expellenti, & remedio trahenti cedat. ita hanc exclusionem ager feret alacriter, quæ tolerantia, optimum optimæ purgationis signum erat Hippocrati. Quin & hac ratione humor debet obtundi, si nimis acris fuerit: ne, cùm violenter attrahatur, in transitu abra-dat partes internas eius acrimonia. Sed vt rectè instituat purgatio, quatuor res rectè perpendere debemus, affectum præter naturam, locũ morbo obsessum, & vias per quas ducendus est humor, medicamentum quo vtendũ, & circumstantias. Sed antequam ad hæc deueniamus, primum perpendendum, an sit purgandum nec ne. Erit purgandum, si morbus qui à materia pendet, vitiũ fecit in his quinque conditionibus quæ ad absolutam morbi crisin requiruntur. Primò, si totum quod euacuari debebat, nõ euacuatur à natura, sed aliquod empyreuma restat, & morbi materia. superstitis empyreumatis signum est sitis: materiæ autem, oris amaritudo: hinc purgandum. Sed si nulla cacochymia superstes fuerit, vnde in sympathiam reliqua trahi possint, à purgatione abstinendum: vt in ictero febre defuncto, & exanthematis puerorum lædit pharmacia, balnea cõferunt. Hæc occultò dicebat Hippocrates 2. Aph. 15. Sin restibilis fœditas fuerit, pharmacia vtendũ: nã inquit 2. Aph. 12. quæ in morbis relinquuntur à crisi inchoata & imperfecta; tũ propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, & naturæ infirmi-

1. Aph. 2.

Que notandi vt commodè instituat purgatio.

An purgandum.

tatem; quod ferè fit, exactis morbi viginti diebus, & in diuturnis morbis, quorum difficultas, in difficultate pepasmi consistit: pepasmi autem difficultas, in materiae contumacia: hæc, inquit, recidivas adferunt: primo nempe die critico, ob materiae contumaciam, quæ ad pepasimum prouehi nequit, sed humor cunctado putrescit. Secundò, si materia culta fuerit & apta purgationi, institui ea debet. Tertiò, si per loca lege naturæ consentanea non feratur, per alia loca euocabitur: vt in inflammato longanone, cum totum corpus per sedem sese exonerat. Quartò, si humor qui non debebat euacuatur: vt si peccante pituita, effluat sanguis. Quintò, si recto tramite à natura nõ fieret: vt si sanguis qui per hæmorrhoidas excludi deberet, per renes & vesicam educeretur. Cum itaque constet purgandum esse, laborandum à nobis erit, vt rectè purgatio instituat. *Affectus* itaque gratiã videbimus quidnam purgandũ sit, quantum, & quando. *QVID*, hec est, quis succus purgandus sit: num serum sanguinis, aut pituitę succus. hoc pernoscemus ex idea humoris qui vitium fecit, siue is simplex fuerit, siue mixtus. Quot enim peccantium humorum ideas, totidem & pharmacorũ characteres vsus notauit, vt singulis accommodaret singula. Et videndum quis sit socius affectus, vt si febris misceatur, frigidis temperanda erunt remedia. Alia melancholiam, alia bilẽ educunt, alia serum sanguinis: In epilepsia, apoplexia, ac asthma, pituita purganda est: arthritici à calore,

Affectus.

Quid purgandum.

cholagogis curantur, vt & tertianis obnoxij. Quantum autem humoris educendũ sit, id docebit AFFECTVS *Qua copia.* quantitas: copiosa enim si materia morbifica fuerit, validiore remedio opus erit: & locus in quo situs est humor morbificus vim remedij explicabit: continetur enim vel in aluo, vel genere venoso, aut habitu corporis. Aluo lenia remedia debemus; quale est hiera, aloë, cassia, pruna, manna: venoso generi, mediocria, vt rhabarbarum, agaricum, sena: Habitus corporis maxima remedia exigit, vt elleborum. Cur autem veteres elleboro, elaterio, reliquisq. strenuissimis remediis perpetuò ferè vterentur, mitiorum ob inediam fuisse existimarunt quidam. Nos putamus, eos audacter ac frequenter eorum vsum iniisse, quòd tutissimas eorũ præparationes compertas haberent, vt innuit Galenus in libris De articulis. Horum autem scripta interiere; etenim Hippocratis De elleboro libri initium duntaxat extat. scribit Dioscorides, libro quarto, præparationem corporis & ellebori, ac victus rationem ad vsum ellebori, diligenter olim descriptam fuisse à Philonide Siculo Ennensi. Foris tutò interdum elleborum balneis & linimentis includebant, vt notat Orbasius. Hinc nostra sæpe calamitas, quòd dum mitiora sectamur, occasio curandi pereat, ac ex curabili incurabile malum euadat. Attamen, in vsu magnorum pharmacorum nullus temeritati locus esse debet. Plato in Timæo, vetat magnis remediis corpora mouere. & ante hunc, Hippocrates Democritum

Qua copia.

Cur veteres elleboro vterentur.

curatu-

curaturus, elleboro non nisi præfens vti voluit: Nullum enim solutorium pharmacum existit magnum; quod non aliquid natiui genij à corporibus deprædetur; vnde effœta redduntur viscera, ac iuuenilis senecta accersitur, quæ, inquit Plinius, præmaturæ mortis index habetur, Scribit Plutarchus de præceptis salubribus, incommodum horum usum, plures superfluitates efficere quàm abducere. Quare hoc purgatorium negocium nunquam vsque in syncopen abduci debet, quæ est præceptum omnium virium lapsus. Verùm hæc humoris purgandi Quantitas & Situs, confusè nos docent, ac in cognitionem ducunt non exactè quam copiam purgandus sit noxius succus: quare à virtute & circumstantiis optimè hæc res definietur. Propterea Hippocrates in habitissima corporis constitutione, qualis est athletarum, à summa extenuatione, & ad summum ducta vacuatione abstinet. quasi insinuet Hippocrates, copiam vacuandæ cautionem non solum ex affectionis magnitudine, sed & ægri naturam accipi debere: naturam dico communi, propriam, insitam, & aduentitiam: in temperamento, habitu, & diætâ: de his postea. Notetur itaque corporis status, & vires: humoris euacuandi natura, & pars illo imbuta. Vt corpus compactum & robustum, nigrum, succus si recessit in remotas partes, ætas florens, temperamentum frigidum, ver, regio frigida, & talis victus qui ad robur facit, vita in umbra, vrina crassa, aluus astricta, sudores pauci, insomnia tristia, melancholia, ventri-

culus mole pressus, magnam copiam pharmaci petunt. Cùm itaque exploratum fuerit, quàm copiam exhauriri debet humor morbificus, discernendum erit, quo tempore purgatio hæc ineunda erit. Hoc notabimus ex materiae morbificæ coctione, & ex eius impetu, anni tempore, & morbi die. Cocta materia est purganda, non cruda: Hoc axioma cum tota medicina primùm ab Ægyptiis fluxit. etenim ingeniosissimi homines vsuque docti compertum habebant, calamitosè pharmaca sine tecmaris medica (quæ eo tempore rudior adhuc erat) ineuntibus morbis exhiberi. Quare legibus cautum erat, ne quis medicus pharmacum propinare ausus esset in morborum initiis. quod abundè testatur Aristoteles tertio Politicôn, capite vndecimo, vbi hæc scribit, *ἡ ἐν Αἰγύπτῳ, μετὰ τὸ τετάρτην καὶ ἕξ ἡμέρας τοῖς ἰατροῖς, ἐὰν ὁ ασθενέστερος, ὅτι τῶν αὐτῶν κινδύων.* dicit, Ægyptios noluisse quicquam in ægrotis innouari, non nisi peractam quartam die, alioqui medici suo periculo id agebant. Ex quorum decretis, Hippocrates primus omnium hoc axioma Græciæ intulit, ac demonstravit, *πέπνησθαι φαρμακεύειν ἢ κινέειν, μὴ ὀμα, μὴ ὅ ἐν ἀρχῇ πν.* hoc est: concocta medicamento purgare oportet, ne in principiis quidem. Apud Hippocratem duplex est coctio: pepsis, & pepasmus. Pepsis, est alimenti coctio: pepasmus, est humoris omnis præter naturam, ad temperiem moderatam deductio. Humoribus autem præter naturam, quidam sunt pepasmi capaces, quidam pepasmi expertes. Pepasmi capaces, qui naturam

Quando purgandum.

Quæstio
nobilis.

& arte mitescunt: vt materiæ putridarum febrium coqui debent & separari, dein purgari. Pepasmi expertes duplices sunt, quidam segregati à concretionem sanguinis, vt in catarrhis, & bilis flauæ in suffusione, & in dysenteria quadam, in colico dolore pituita in intestinis concepta, in hydrope aqua: in his pepasmus nullus expectari debet, sed statim excludendus est noxius succus. Quidam succi in vitio sunt, propriæ substantiæ corruptione, qui partium in quam decumbunt substantiam labefactant: vt in peste bilis, cancri materia, & humores turgentes. Pepasmi autem difficultas accedit ob tres causas, naturæ imbecillitatem, meatuum angustiam, & ob materiæ contumaciam. Nobilis hoc tempore agitur quæstio inter medicos, num morbis ineuntibus tentanda sit purgatio. Quæ res hoc modo transigi posse mihi videtur. Primùm indagandum est, num corpora illa quæ curanda veniunt, ad purgandum parata sint, an non. Si parata fuerint, vsus purgantium remediorum iniri poterit: sin minus, ab his abstinendū, dum parata rectè fuerint. Vt autem parata sint, hæc abesse debent, cruditas ab ingluuie, sursum elata hypochondria, & si incendio cōflagrant, & vbi viscera inflammationē concepere, aut vbi vrina igneo æstuat rubore, inutiliter pharmaca dātur. Corpora, inquit Hippocrates, cū purgare consiliū est, meabilia reddi debent: ne fiat via vi. Tria enim ad legitimam purgationem maximè requirūtur, meatuū libertas, materiæ præparatio, & naturæ

vis: hæc enim corpora reddūt *εὐραία*.

SECUNDÒ sint cōcocta ac maturata quæ excludentur pharmaci vine æger cōuulsionibus, torminibus, vertigine, & damnis augeatur. nam vt sunt gradus coctionis, ita tantum purgationis esse debet: alioqui, materia crassa nec naturæ expellenti, nec pharmaco trahenti cedit. Vt enim cruditas humoris morbifici, in acutis morbis, quæ caret *ἐρεθισμῶ*, acrisiam quidem facit, non tamen funestam: ita si accessionem habeat *ἐρεθισμῶ*, consecutionē adfert sinistri iudicij atque mortis. Ex quo efficitur, temerè purgantibus operam dari in febre quartana, & acutorū etiam initiis, sine orgasmō: quia erethismus frustra inducitur, qui antè aberat: vnde laboribus & damnis fatigantur ægri. ne crisis quidem vlla bona sperabilis dum manet cruditas. sit itaque vi naturæ mitificata materia morbifica, & ad temperiei mediocritatem redacta. Igitur vbi crassi, lenti, & viscidissimi sunt succi, frustra purgatio tentabitur. Quare materia purganda rectè parabitur, ratione sui corporis vel formæ: corporis, vt crassa attenuetur, incidatur lenta, & abstergeatur viscida: ratione autem formæ est coquenda, vt bona materia ac utilis separetur ab inutili. Hinc materia tenuis si cocta fuerit, non alia præparatione eget: quò enim illa fuerit tenuior, eò facilius è corpore labitur. Sed si crudus fuerit humor, qui tenuis est, primùm coqui debet, ac coctione crassior euadit: vt crassus humor, coctione attenuatur. Quare, omnia coctione quantum maximè possunt ornatum à forma

à forma induant, antequam purgentur: tenues crudi increassentur: crassi tenuentur. Præparatio perficitur calidis, frigidis, increassantibus, attenuantibus. Coctio autem separat bonum ab inutili, id fit à calido nativo. Oportet igitur ut usu remedium calor nativus abducatur, & calor præter naturam abigatur. Propterea primum videre debemus, quo modo materia sit coquenda, & quæ corporis totius sit temperies. Si enim materia fuerit frigidior, ut pituita, utemur syrupis attenuantibus, incidentibus, & calidis: ob frigus enim coqui materia nequit: ex Hippocratis autem sententia interdum febrilis calor coquit morbificam materiam. Præparamus itaque ut materia non sit contumax ad coctionem, & separationem. ita natura cum cibum in sanguinem vertere conatur, primum præparat sibi chylum, ut æqualiter vires suas exercent in omnes cibi partes: ita enim materia fit naturæ coquenti obediens. Quod si materia cocta fuerit, & non bene præparata, ante purgationem paranda erit: ut crassa, quamvis cocta, attenuanda. Si materia coqui non possit, frustra cunctamur: ut in hydrope, quia in illo segregata est materia à sanguine, non potest coqui. Hæc autem materia purganda, superstes plerumque est ab imperfecta crisi: aut succrescit à pleniore victu post crifim, & recidivæ metum adfert, hæc tollenda: ut corpus habeat locum se reficiendi, ac edendo ne homo damnus sentiat. Succrescens autem cacochymia est triplex: aut alvi, aut generis venosi, aut habitus

corporis. Prima cognoscitur ex astitia: secunda, quod edendo non proficiant: quia caro non attrahit alimentum, & propterea ex stomacho non fit suctio: nam, dicebat Hippocrates, qui ventres habent calidos, carnes habent frigidas: hoc est, caro contaminatum ac calentiosem sanguinem non attrahit. Quid igitur agendum? purgandum. quo modo? præparando materiam & reddendo corpus euron.

Tertio, humorum quies & motus perpendendus erit, ut cauta instituat purgatio. Humores autem bifariam per corpus ruunt: aut enim per diversas corporis partes vagantur, quod natura eos educere nequeat, nec illis par sit: aut in unam solum partem feruntur, & in ea sedem figunt. Prior, manu adiutrice pharmaci eget: quod sponte ad exclusionem ferri nequeat. hæc enim materia turgere, venenata qualitate aut symptomatica translatione periculum vitæ intentans. Quare ne furibunda in partem nobilem ruat, cuius officio carere vita non potest, & ne febrilis calor ab ea augeatur, ac vires concidant, ilico, ac ineunte morbo est pharmaco educenda. Materiam autem turgere ac orgasmo ferri animadvertemus, si initio morbi crebra symptomatum incidat mutatio: Etenim cum ita effera materia ruit, nulla pars eam ferre potest, quare in aliam excutit, hæcque iterum in aliam. & cum plerumque symptomata sequantur partium ac materiarum morbificarum naturam, hinc varia efflorescent symptomata, modo delirium aderit, modo dolor lateris, iterumque lipothymia;

111.

*Turgens
qua fit
materia.*

Ecc

ut va-

vt variè partium percellit vires tur-
gens materia. Præterea primis mor-
borû auspiciis turget materia: quo
tempore natura morbificis causis
opprimitur ex copîa maligni hu-
moris: quod nunquam fit proue-
cto morbo. Sin humor ad certam
aliquam partē viam affectet, si non-
dum influxerit, sed si fluxu adhuc
feratur, purgatione eget: ita, si iam
iam fluxurus sit, cū aliquam ob
causam tunc emittere sanguinem
non licet; & si ætas reclamet, vi-
rium infirmitas, vel anni tempus.
At qui succi influxere & reuelli nō
possunt, non erunt mouēdi: sed illi,
vt dixi, qui in motu sunt, vel iam
iam mouendi: vt ea reuulsione eo-
rum inhibeat motus. ita & mor-
bi incrementum prohibebimus, &
ne pars nimîa succorum mole pes-
fundetur præcauebimus. Vt si in
angina aliquam ob causam venam
soluere non licuerit, vt propter cor-
poris temperiē, aut habitū, aliāve
causam, nōne præstiterit mediocri
pharmaco deorsum reuocare mate-
riam, quā pati vt æger irruente in
guttur materiā stranguletur? Qua-
re, reuulsionis causā his in casibus
purgandum interdum est, cū nec
repellentibus, nec aliis rationibus
sisti influxus materiæ potest: ita in
alopecia Galenus, in angina, &
oculorū inflātionibus transigit.
Quiescens membroque concepta
materia interdum admittit purga-
tionem, interdum reuult: admittit,
mobilis loco: reuult, membro im-
pressa. tunc malè datur pharma-
cum: nam exhaurit partes sanas &
pabulum caloris natiui educit, &
depascitur viscidū illud humidum

primigenium. ac existimāt egregiè
secum agi, cū lentā videant eiici
substantiam illam ægri: sed naturæ
thesaurum & prædium eius depo-
nunt, ac fatiscunt. Itaque in mate-
ria cruda immobili, semper coctio
est expectanda; nam ab illa non est
periculum: quia partim eam coqui-
mus, partim euacuamus; ita natura
non faciliè succumbit. Verūm, dicit *Dubium*
aliquis, Hippocrates in pleuritide
purgat, vbi dolor descendit ad in-
feriores costas: igitur initio est pur-
gandum, vbi materia parti infixæ
est. Respondeo, Hippocratem ibi
agere de ea pleuritide, quæ euenit
corpori non plethorā, sed cacochy-
miā obfesso, aut nothā contamina-
to plethorā. Interdum enim dolor
descendit, & vena tutiùs secatur:
cū adest intenta admodum fe-
bris, quæ prohibet vsu pharmaci.
Si igitur febris fuerit ignauior, vt
licebit elleboro & colocynthide: sin
plethora notha adsit quæ remisce-
tur ex cacochymia & plenitudine,
vtriq; remedio locus erit. Quare
sentētia Hippocratis hæc fuit, quia
humores tenues & calidi ascēdunt
plerumque, verisimile est quod
tunc vehementer vratur febris: Sed
in dolore descendente plerumque
non ardet febris: quia oritur maxi-
mè ex humoribus crassis. Quare
ad fluentem materiam purgatione
vritur Hippocrates, & ad eam quæ
adhuc euocari potest; nō ad omni-
nō impressam parti.

Quartò, vt cautè purgatione vta-
mur, perpendendum erit num sint
pauci humores morbifici vel co-
piosi, & num magni morbi metum
adferāt. Si pauci illi fuerint & cru-
di, non

di, non erit purgandum: nam cum natura malum superare potest, validis remediis corpus non est quassandum: nam ex naturæ pabulo semper quid secum rapiunt. quod si ad crism natura se non paret, leni purgatione euocari malum poterit. Sin copiosi fuerint humores, vtrumque malum est, purgare crudos, & discrimen ab aucto morbo expectare. Vitandum igitur maius malum. Si igitur purgatio videatur magis obfutura, quam utilitas profutura, quæ ab accisis ac reuulsis humoribus euenit, supersedendum. Sin vehemens influxus maximum periculum indicet; purgatione si opus sit, eius vsus ineatur.

v. Quintò, explorabimus num ex febre æger laboret, vel non: si illa adsit, num languida sit, an vehemens: si mitis febris fuerit, purgationem non impedit: sin vehementer exardescat, abstinendum: vt eleganter docuit Hippocrates in libello de Purgantibus, & quarto libro de Articulis, in fractura calcis. Quia remedia trahuntur (inquit Hippocrates) à ventre & carne calida: & cum remedia similitudine substantiæ trahant & calore, semper autem calida trahant ad se minus calida, igitur pharmaca à carnibus trahentur, & grauitè premēt ægrum: nisi rapido calore æstuent pharmaca: sed id calamitosum ægris esset. Hæc satis sunt vt aptè tempus purgandi eligatur. Ver & autumnus purgationi accommodata sunt, & his similis dies. constitutio austrina fundit corpora & succos; ægritudinis tranquillior dies, ad purgandum securior est. comitiales, articularij,

& melancholici, & à crassis succis ægotantes vere curandi. Secundò, in purgatione obseruandus est locus, per quem educendus est pharmaco humor. Inclinatio naturæ & humoris, nobis viam ostendent: nam quò is vergit ducendus est, per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea. Vt si bilis crassior purganda sit, euehatur per sedem: sed si in ventriculo fuerit, vomitu: si dysenteria adsit, vomitu etiam excludatur: nam afflictis inflammatione intestinis non danda est afflictio: ita in nephritide, per vrinam corpus non purgandum: nunquam enim per partem morbo implicitam totum corpus purgari debet: melancholia, deorsum ob grauitatè exturbetur. Consensus etiam vasorum vias purgationum indicat, vt, vomitu exonerandus ventriculus, renes per vesicam. Sed tribus modis primò corpus ad purgationem parandum erit, aluum subducendo sæpius iusculis pinguibus; aut clysmis, liberatis obstructis ac præparata materia. Naturæ interim peculiaris ratio accuratè perpendatur.

Scripsit Hippocrates, quòd graciles qui vomunt ex facili, sursum oportet purgare, cauendo hyemem. Quales illi sunt, qui non morbo, sed temperamento & habitu graciles sunt, qui distentas sanguine habent venas, & carnes macilentas. Sed dicit Hippocrates, cauendum esse ab hyeme: quasi dicat, plus tribuendum inclinationi humoris hyberni quàm temperamento & habitui. hinc dicebat, Quibuscumque sunt lientericæalui, hyeme sursum

Locus per
quæ pur-
gandus est
humor.
4. Aph.
18. &
20.

4. Aph. 6
7. 8. 9.

purgare est malum: quasi dicat, ab humotis contumacia reuulsionis quoque commodum vincitur: bilis hyemalis est catarrhops. Qui autem vomunt ex facili, amplo sunt pectore, capite firmo, nec cephalalgia, hæmorrhagia, aphthis, aut veterano obnoxij. Verum, inquit, qui ægrè vomunt (vt quibus scapulae instar alarum prominent) infernè purgato, cauendo æstatem. Sed tabidorum, inquit, ea cautio sit, vt numquam sursum purgandos putet: vt, qui collo exili sunt: nam grauiorum inde symptomata imminet metus. Tertia cautio in purgatione ducitur à circumstantiis, inter quas prima est VIRTUS. Virtus est vel fortis vel debilis. Si valida fuerit, luxuriabit in corpore vel copiosa cacochymia vel aderit pauca. Si virtus robur suum occupat, ac cacochymia copiosa inquinat, humor confertim ac tumultuosè non erit educendus: nam spiritibus exhaustis, ac turbatis corporis succis, periculum crearetur ægro. Nā scripsit Hippocrates, si ex thorace pus, vel ex ventre aqua, affatim exhaustiatur, ilico moriuntur homines: dissipatis spiritibus. Si emicat virtus, nec copiosa fatiget cacochymia, confertim excludi materia morbifica poterit: maximè si cocta tenuis materia fuerit, & ab ea pateant viæ in aluum. Sin verò virtus prostrata languet, is languor erit ex naturæ oppressione vel resolutione. Si ex repletionem ad vires, spirituum inedia tunc adest; pauca purgatione vtendum: restibile quod fuerit per epicrasin absumentum erit. ita transigendum in contaminatis corpori-

Circumstantia. Virtus.

bus à facis succis. Sin ex resolutione languor sit, sola epicrasi vtendum: vt, si acres sint humores, obtendemus acrimoniam, & tunc naturam excludentem iuuabimus. vel ex Auicennæ auctoritate, aliquid accidemus contaminata à materia, vsu rerum lenientium, vt mannae, cassia, rhodosyrupi. Inter circumstantias est & ÆTAS. Etsi enim cunctæ reliquæ notiones pharmaciam exigerent, tamen vehementibus & naturâ ferocibus pharmacis nec senio affectos homines nec teneram ætatem puerorum percellimus: quòd illi ætatis decursu exhausti sunt succis benignis: his, quòd facile euaporet humidum, & quòd crescant; quæ loco purgationis sunt. Ingravidatio præterea mulierum, pharmaciam sistit: religiosè enim cum illis transigendum initio & sine gestationis. Habitus corporis pariter inter circumstantias est. raræ texturæ homines parcè purgandi, ob metum futuræ infirmitatis: quales sunt macie aridi: calidi & humidi facile ferunt purgationes. non ita frigidi & humidi: ob inopiam spirituum & viarum angustiam: & notandù, num in proprio temperamento vitium fecerit humor: vt bilis ex bilioso corpore ægrius educitur: ex pituitoso facile. Ita si corpus à morbo langueat, aut cacochymia luxuriet, vel partes imi ventris extenuentur, aut abscessus si later in imis corporis penetralibus, vt, pulmone, iecore, liene, renibus, non valido remedio cõcutiendum: ne rupto abscessu, ilicò mors purgatione excipiat. Aëris etiam temperies est animaduertenda. æstate,

Ætas.

4. Aph. 4.

Habitus corporis.

Aër.

cum

cum frigidis dētur pharmaca: nam æstius calor foras euocat succos, quos intrò rapit pharmacū. at natura, duos contrarios motus eodem tempore ægrè sustinet: & rapidi potentiā solis viscera incendio cōflagrantia, facilè ex cathartico febrē concipiunt. Deinde, quòd vīs naturæ effæta, neque pharmaco neque humori vacuando par esse possit. Et algor hyemis difficilè humores demittit, densato corporis habitu; quare illi negotium facessit. *Consuetudo* Consuetudo inter circumstantias nō vltimum locū sibi vindicare debet. Assueti pharmacis maiorē vim eorum ferunt: qui nunquam pharmacum bibere, maximè horū potentiā percelluntur. Vitæ genus notandum insuper est: qui enim duram vitam agunt, artemque laboris plenam exercent, leuē medicationem aspernantur. Tandem maxima cura **REMEDII** esse debet, vt rectè peragatur purgatio. Pharmaca quedam apertā vi purgant, alia occultò. Quæ manifestè purgant, vel totum corpus vel peculiarem partem ab excrementis liberant. Totū quæ purgant corpus, nonnulla placidè illud peragūt: alia, turbulenta quadam concussione id præstant. In eorum exhibitione hæc summa cura adsit, ex Hippocratis sententia, vt mixta remedia sint *ὁμοιότροπα*, hoc est, vi affinia, eodemque tempore purgantia: ne celeritate purgandi, alia, alia anteuertant. Et *ἐνώσει* miscantur, grati odores sint, ne stomacho fiant infesta. & vt discutiantur flatus. sintque talia, quæ actionē pharmaci non impediunt. sint tenuia, non tamen ea mole &

copiā quā vrinam prouocēt. Pharmacum aptè comparatū sit ad peculiarem qui in vitio est prolectandum humorem, siue simplex educendus sit succus, siue commixtus; nam alius alio facilius effluit, seu à venoso genere, aut ex habitu corporis euocandus ille fuerit. Sunt enim pharmaca quæ leniter, mediocriter, aut robustè succos ad sese rapiunt, vt manna, & rosatus syrupus, languidè bilem emulgent: fortiùs, rhabarbarum: at scammonium efficaci vi id præstat. Ita in aliis atque aliis succis educendis certam seriem virium summus **DEVS** posuit. Id **NOTANDVM**, quòd catapotia semper sint molliuscula, & erui magnitudine. Hæc quæ sint, & quo filo sua munera absoluant, abundè explicatū à nobis fuit libro secundo huius Methodi: vbi de iis quæ vniuersum corpus purgāt clysteribus, alui deiectione, vel vomitu. nam de particularibus purgationibus, vbi de causa continente morborū agemus, pertractabimus. *Usus re-* *ctus re-* *med.* **Usus** remedium consistit in recta corū adhibitione, quæ habetur ex eorum qualitate, quantitate, tempore adhibendi, & vtendi modo. Qualitas sumitur ab eorum actione, vt calfaciendi, adstringendi, vel totius substantiæ actione: & à parte cui student, vt quædam stomachica, alia hepatica. Quantitas eorum ducitur à magnitudine morbi & eius pertinacia, peculiari corporis natura, virium robore: partis conditione, in sensu, substantiâ, officio, formatione, situ, & societate. Vtendi modus, ab humoris sumitur natura, & eius motu ad nobiles vel ignobiles partes:

tes: & à morbi conditione, hoc est, tarditate & celeritate: ex via per quam educitur, & remedij vehementia. Tempus & occasio sumuntur ex præsentia affectus, & virium robore admittente, & ab humoris motu, & à motu naturæ: nam alia initio conueniunt, alia in fine morbi. Ut autem cuncta methodo peragantur, quædam notanda sunt ante vsum pharmaci: quædam in ipsa exhibitione: alia post pharmaci assumptionem. Antè, horum cautio adsit, vt nausea sistatur: quare cum poculum ori admouet æger, eius labrum, quâ patet, linteo aceto madente inuolutum sit, vt nares feriat. aut aqua rosata naribus admoueat, vel panis tostus & aceto tinctus, aut mala cydonia olfacienda. & oris ablutio ilico à sumpto pharmaco prodest cum posca, vel succo punicorum malorum. Quidam præmandunt pyrethrum, nam fatuum reddit os. Vomitus arceatur ligatis extremis artubus, aliquid roborans stomachi vim sumatur, & quod remedij saporem obscuret, vt poma aurantia, mala punica, cydonia, medica, mespilum, omphacium, oxycantha, ribes, mora immatura. Cucurbita vitrea umbilico supposita vomitum cõpescit. & pedes prius calfacti. Peculiaris natura ægri notanda; nã qui imbecilles sunt ventriculo, aut qui iecur calidum habent, in æstate primùm bibant succum ptisanæ aut granatorũ: ita non facilè euoment. Aër cubiculi non adedò caleat vt in peripheriam corporis calidum natium rapiat, id enim sistit pharmaci motum. Hæc in pharmaci vsum obseruanda. Post

*Quædam
in vsum
purgantiũ
notanda.*

*Ad nau-
seam.*

*Ad vo-
mitum.*

medicaminis assumptionem statim hordei pultriculam sorbeat æger, vt in fundum feratur pharmacum, & vt à stomacho vis pharmaci abstergeatur: is enim nausæ auctor, ac ibi molesta remedij vis cor ferit. huius vsus erit, vbi magna ac ferox pharmaci potentia fuerit. Si lenius fuerit pharmacum, sumatur paulò ante vel post cibum: vt iusculũ cum sale vel saccharo. Si ex medicamentis validioribus fuerit instituta purgatio, post duas vel tres horas, incunte iam ferè purgandi motu, quid sorbeat. Sin valentissimum remedium fuerit, inedia trásigatur: nam stimule non eget. Prandium sit illis parcius. A purgatione paulatim ad pleniorẽ diætã se conuertat; non ruat in cibos. Robustũ pharmacum somnum non abnuat, qui ilicò illud excipit: lenioris autem remedij vis, somno euanescit: sed cibo acuitur. Si maiorem vim à sumpto pharmaco exigas, corpus moue: ita natura excitatur & humor incitatur, & facile fit vt votis respondeat, & vt pharmacum humori vacuando analogum fiat. Sin inhibere velis vim pharmaci, somnum conciliato, neque moueto: id utiliter fit, cum metus adest hypercatharsis & conuulsionis: omnis enim conuulsio & singultus ab hypercatharsi lethalis est. Antequã officium suum perfecit pharmacũ, in inedia tempus transigat: si non sufficit æger, ilico à pharmaci sumptione hauriat iusculum aut panem vino madidum, ex Philagrii sententia.

CAUTIONES quædam in pharmacis sunt obseruandæ. Hippocrates scripsit, elleborũ (hoc est, omne

reme-

Cautientis

remedium validum) periculosum esse his qui integra sunt valetudine: agit enim remedium haustum, si igitur visceribus benè constitutis humoribusque bene temperatis (vt quibus excrementa sanorum sunt similia, vnde carniū sanarū character, moles & natura elucet) his, dico, si graue pharmacum detur, illa bona contabescunt ac soluentur: cū aliud nihil habeat, in quod vires suas exercent. Quibus igitur commodè dabitur? Respondet Hippocrates, si cui febris experti, cibi fastidium, cordis morsus, vertigo tenebrosa, & oris amaritudo oborta fuerint, purgatione, quæ sursum fit, opus esse significant: hæc enim ineunte morbo fiunt à translatione symptomatice. Præterea in morbis non semper purgandum, non enim omnium morborum curatio in purgatione consistit. hoc dixit Hippocrates, cū inquit, Quibus strophii, & circa vmbilicū labores, & lumborū dolor, qui neq. purgatione discutitur nec aliter, in siccū hydropa firmatur. Cū igitur nec clysteribus, cataplasmatibus, fotu, aut purgatione mitescit, indicium erit ab hectica intemperie tenuium intestinorum & mesenterij malū incurabile hæere: nam symptomata discutiuntur, at causa manet: inutilis igitur his purgatio. Perfectæ purgationis indicia sunt, mutatio excreti humoris & somnus: nam Hippocrates 1. aph. 23. dicit, non copiā, sed alacritate purgationes metiendas esse. quasi ibi asserat Hippocrates, duo esse iustæ quantitatis signa tecmiria in omni vacuatione, agri alacritatem, & hu-

moris qui in vitio est exclusionem: propterea scripsit venerandus ille senex, In commotione & profluuio non mediocri, & vomitibus vltro obortis, si quidem qualia purgari oportet excludantur, confert, & ferunt alacriter: sin minus cōuenienter ferantur, damnis augentur. Insigne hoc experientia fuit theorema, ex quo animaduertitur, quod humor qui in vitio est excludatur, quodque nulla ratio in eius exclusione desideretur qualitatis, quantitatis, temporis, & excernendi modi: etenim œconomiam naturalem impeditā restituit, partes nutritioni dicatas ab omni iniuria vindicat, per loca lege naturæ cōmoda educta materia morbifica. Notanda & sitis, nam illa signum est iustæ purgationis, modò leui catarrho non irritetur, aut nulla excusatio adferri possit æstuantis ventriculi, vel inflāmantis pharmaci, aut biliosi humoris. Si hæc absint, indicium erit pharmacum suo officio functum esse, & aliquid roralis humidi absumpsisse: modò tamē mador ventriculi sitim non diluat. Has cautiones cautissimè prosequitur Hippocrates quarto Aphorismorum: in quo omnis purgandi ratio continetur, tum symptomatice vi, tum artificiosâ quæ fit molitione. Si euenit vt nimia vi sese effundat remedij potentia, hoc modo domabitur: manus & brachia aquâ calidâ foueantur si catarrhops fuerit humor: si anarrhops fuerit, crura pedesque foueantur: & vincula his iniiciantur. Theriacæ exhibitio sistit vim remedij ac impetum ruentis humoris: traiecit enim vipera cuncta

Superpurgatio.

Purgationis perfecta nota.

cuncta in peripheriâ corporis; quare & elephantiasin curat: Accipe theriacæ nouæ, scriptulos quatuor: aut si antiqua sit, addantur duo grana opij: vini generosi, vncias tres: exhibeantur vna vice. Balnei vsus, & sudoris euocatio iuuant. & vsus rerum astringentium, vt terræ lemnia, rosarum c. & cucurbitæ interscapulio & hypochondriis absq. incisione appositæ profunt. Fetus ventriculi & hepatis ex roborantibus & abstringentibus, sistit vacationem. sit cibus, & potus stipticus. Aër sit temperatus, nam calor exhaurit spiritus: frigus, ad intestina exprimit. His omnibus deuictis, ad narcotica surgendum, ac philonium cum terra lemnia erit exhibendum. Cùm humores educuntur quos peculiari sua vi medicamen non proleat, id fit, vel ob medicamenti vim, vel vasorum imbecillitatem, vel osculorum laxitatem. Si praua incurrat symptomata ab vsu pharmaci, remedia formabimus ducto indicio à vi pharmaci. Si illud soluat comprimendo, lubricantibus occurremus. Si deleteriâ facultate dissoluat, vomitu modò præcordia laceffat, eiiciemus: clysteribus, si ventrem: antidotis, aliis remediis iam victis. Si sit ex ducentibus peculiari vi, astringentibus exprimendum, & clysmis attrahendum. Si hoc non prodest, vena soluenda: primò basilica, hinc saphena. Omnem symptomatum varietatem obortam à vi pharmacorum & eorum curatione accuratè prosequitur Mesues, libro 1. De re medica, Theoremate tertio & quarto.

Symptomata mata mala à purg.

Si pars peculiaris purganda fuerit, addemus ea quæ parti conueniunt. Sed quæ causa est quòd interdum adeò languet vis remedij, vt nihil euehat? Hoc fit ob exoletam remedij vim, aut minimam eius molem, vel quòd natium calidum, ob imbecillitatem, erigere vim remedij nequeat: aut ita elucet natia caloris vis vt superet medicamentum, & id vertat in similem succum ei quem trahere deberet; vel expultrici facultati non obedit: aut meatus conuenit ab infarctu materiæ; aut flatibus via intercluditur, vt interdum dum scybalis restagnat aluus: aut auerso remedio ad vrinas, aluum eludit: id innuebat Hippocrates, cùm scripsit, mictio si multa de nocte fiat, exiguam deiectionem significat: deriuatione materiæ ac negato facibus vehiculo. His interdum pro nutritu corpus fruitur: interdum in corruptelam ac exitium vertuntur. Notandum ex Aretæj sententia, capite de Melancholiæ curatione, ventriculo esse consulendum à purgatione, viniq. inquit, paulum bibat, & alia in cibus iucunditas concedatur; stomacho enim & viribus laboriosa purgatio est. Purgationis tecmarin descripsit Hippocrates, his locis; libro primo Aphorif. 21. 23. 24. libro secundo Aphorif. 9. 29. 30. 36. 37. libro quarto Aphorif. 1. 2. 3. 4. 5. vsque ad 21: & 27, 28.

Cum non purgat.

Obsertatio.

CAPVT

CAPVT IX.

PRIMA PRIMÆ INDICATIONIS CVRATIVÆ
pars, qua, De causa antecedente
cùm peccat copia. De eius euacua-
tione qua fit VENA SECTA.
& de eius cautionibus.

DE Venæ sectione iam à nobis
agendum est: nam de causæ
morbificæ antecedentis (cùm co-
pia in vitio est) euacuatione agi-
mus. Hanc euacuationē fieri dixi-
mus, vel cùm inutilis humor eiicitur
purgatione, vel cùm utilis iun-
ctus inutili simul exhauritur venæ
sectione. Vena secatur ad vaquatio-
nem & reuulsionem causæ antece-
dentis, amotionem cōiunctæ, tem-
peramenti restitutionem, & super-
stitis materiæ præparationē. Hanc
olim Chrysippus Cnidius ab omni
morbo eiecit; & hunc secuti Ari-
stogenes, Medius, & Erasistratus.
quàm, inquit Galenus, ridiculè
Apœmantes & Strato difficilem
dixere, quòd difficilè vas internof-
catur ab arteria, vel quòd nimio
sanguinis effluxu quidam exspira-
runt. Est autem phlebotomia, totius
corporis euacuatio à sanguine, ve-
næ solutione aptè facta, vt humo-
rum symmetriâ conuenienter cor-
pus fruatur. Quare cùm cacochy-
mia in vitio est, hoc est: cùm à san-
guinis natura decessit, purgatione
vtimur: cùm verò plenitudo succo-
rum adest illis sub sanguinis forma
auctis, phlebotomiâ abscinduntur.
Ambo hæc, maxima remedia sunt,
ac magnis morbis debentur. Ho-
rum vsus simul interdum incidit,
cùm & plethora & cacochymia

premit. Quo in negotio, vtile hoc
axioma ponitur; cùm horum duo-
rum celebrium remediorum simul
inciderit vsus, à phlebotomia est
auspicanda curatio: modò ex pecu-
liari ventriculi vitio aut venarum
primarum crimine malū obortum
non sit. Alioqui enim, plenis ac di-
stentis sanguine venis, pharmaci
potestas traicere se per corpus non
posset: quare nihil ager, vel prauè
ager. Ita Hippocrates in hepatis do-
loribus, & splenis grauitate, in in-
flamationibus, collectionibus; po-
stea clysmo vtitur: hinc purgat. Sed
dicet quis, quod crudum restagnat
in mesenterio, ad venas rapietur:
Respondemus, id fiet solùm in ni-
mia vacuatione sanguinis. tamen
ventriculus & intestina sint vacua.
Quare clarissimus vir Montanus,
in difficillima illa re ex situ humo-
ris nata, venam solui iubet: cùm in
morbis frigidis cacochymia phar-
maco detrahi nō potest, ob humo-
ris crassitiem & contumacem ob-
structionē venarum mesarrhaica-
rum, cùm longè recessit malum à
purgationibus dicatis viis, hinc ve-
nam soluit; propter morbi magni-
tudinem & symptomatum vehe-
mentiam: quæ sunt duæ phleboto-
miæ præcipuæ Indicationes. Hoc
præclarum artis instrumentum vt
aptè corpori humano aptetur, hæc
maximè obseruari debent: affectus
præter naturam, loci per quos san-
guis euacuabitur, circumstantiæ, &
instrumenti, quo elicitur sanguis,
encheiresis. Primò igitur ab affe-
ctu, & ex iis quæ affectum præter
naturam necessariò comitantur ritè
perpensis, rectè phlebotomia in

*sanctus
vsus phle-
botomia
& phar-
macia.*

*6 Epide-
micon 1.*

*Quid
phleboto-
mia.*

*Quatuor
notanda
vt aptè
fiat phle-
botomia.*

Affectus.

vsu trahetur: his symbolis ac notis præeuntibus, QVIS, QVANTVM, & QVANDO. Hoc est, si primùm exploratum fuerit in quo affectu sit aperienda vena, & quantum sanguinis sit exhauriendum, & quo tempore illud agendum. In QVO itaque AFFECTV erit solvenda vena? Maximi mittēdi sanguinis scopi sunt, morbi magnitudo præsens vel futura, & vires. Morbus magnus est vel suâ naturâ, vt Inflammatio: vel symptomatum vehementia, vt ex parotidibus iuvenes faciliùs pereunt ob doloris vim; Æthiopes ex causo, cognato tamen naturæ illorum morbo: vel causæ immanitate, vt senes ex febre: vel quia pars princeps, cuius officium latè se fundit per corpus, affecta est. Galeno insuper morbus magnus est, qui vehemēter & pauco tempore affligit. Et hic ille magnus morbus est qui phlebotomiâ exigit: nã elephantiasis & hydrops, magni morbi sunt, non tamen ita venæ sectionem postulant. Apud Hippocratem quatuor sunt causæ mittēdi sanguinis, Inflammatio, translatio symptomatica, dolor, & obstructio: omnes grauium morborum auctores. Et nihil est quod æquè hæc pericula accersere solet ac plethora. Plethora est nimia auctio sanguinis. Sanguinis nomine voco totam massam, quæ nutritiis succis quatuor constat cum suis ichoribus. Etenim in corpore esse videtur dupla proportio sanguinis ad pituitam: pituitæ dupla ad bilem. Quare cum simul pro rata cuiusque proportione crescunt, vel cum sanguinis purior pars validè

luxuriat, vocatur plethora ad vasa pura, & tensione percipitur; admodum periculosa, qualis in athleticis. Quod si non aded increuerit vt vasa tendat, si tamen ita increuit vt natura hanc molem gubernare nequeat, vocabitur plenitudo ad vires; hæc grauedine se prodit. Sin alij succi validè aucti fuerint (loquor non de excrementiciis, sed de alimentariis succis in sanguine) vt melancholia, bilis, vel pituita, dicitur plethora ad vasa impura. In pura, vena tutò soluitur: in impura, non ita tutò: quò puro vicinior (vt in biliosa & melancholica plethora) eò copiosius eliciendus erit sanguis: quo impurior, eò parcius; vt in pituitosa. Nam ad id exhauriendū quod phlebotomiâ eximi non potuit, inuenta fuere cum Balneatum Laconica, quæ totum corpus vacuât à sero sanguinis & fuliginibus: & vretica medicamina, quæ vrinarum promotione corpus purgât, venæ sectæ loco sunt. Propterea dicebat Galenus, cum crudus succus per corpus collectus est, in extrema pericula abripit phlebotomia, aded vt ad pristinum locum reuocari corpus nequeat. Plethoræ impuræ ad vasa, maximè conuenire videtur illud axioma, à phlebotomia auspiciandam esse curationem, nō à pharmacia. Plethora non tantum cum morbos fecit, sed cum faciet, venæ sectionē indicat: idque à metu magni morbi. Ita in metu iam iã futuræ epilepsiæ, apoplexiæ, vertiginis, sanguinis sputi, melancholiæ, Galenus venam soluit. Et Hippocrates ita scripsit: Habitissima constitutio quæ in summū euasit, qua-

Morbi vt
magni.

Causa
phleboto-
miæ.

Plethora

fit, qualem in athleticis cernere est, periculosa: nam suo statu manere non potest, neque quiescere: cum vero non quiescat, & accessio ad melius nequit adiungi, restat ut recidat in deterius: quod fit ut talem habitum sine mora laxare oporteat: ut corpus de integro habeat locum reficiendi sui. Quare rectè illud Quintilianus, pravius omni fame sagina. cuius saginæ historiam omnium lucidissimè demonstravit nobilis ille totius litteraturæ ocellus, imò politioris scientiæ hoc sæculo caput Iustus Lipsius, primo Saturnaliū, qui De gladiatoribus, capite decimoquarto, folio 53. Hic enim, quamvis nondum ægrotarent, distenta erant vasa & musculi sanguine: quod vastâ mole corporis gauderent, ad res gerendas & sanitatem tuendam incōmodâ: unde nobilis ille dux Philopœmenes, apud Plutarchum, hos sannis excipiebat. Cùm itaque ille habitus periculi plenus sit: cùm facilè venæ dehiscant, unde hæmorrhagiæ periculū: aut ne obortâ vniuersali inflammatione, febris ardens ac syncope incidat: aut interceptione viarum spiritus animalis, apoplexia incumbat; aut ne mole obrutum calidum nativum extinguatur, ilico vena pertundenda erit (metu grauiorū symptomatum) quamvis morbus adhuc sileat. Hinc eleganter Celsus scripsit, si plenior quis & speciosior & coloratior seipso factus videatur, suspecta habere bona sua debet. Quare dicimus, quod morbi geniti à plethora, venæ sectione curantur; & imminentes arcentur. Anniversariis itaq. morbis impendentibus

à plethora, venæ solutio morbum anteuertet: nam, dicit Galenus, quæ morbis præsentibus rectè peraguntur, eadē his incipientibus vel imminētibus rectè præscribuntur. quare si solemnis vacuatio suppressa fuerit, ut hæmorrhagiæ, mēlium, aut hæmorrhoidum audacter vena pertundatur: ita si quis à negotio, subito se ad otium & vmbra conuertat in pleno victu. Vbi igitur adest vel imminet inflammatio, vel obstructio, dolor, aut symptomatice translatio, vena pertundenda erit: nam ibi iam tum fouetur morbi maximus focus, & plethora has calamitates promptè accersit. Aui-cenna corpus habere asserit libras viginti quinque sanguinis; & septendecim effundi posse vno die absque interitu hominis. Galenus libras sex eduxisse interdum videtur: qui & in lienosis librā extraxit sanguinis. Intelligere, inquit, nequeo, cur reformident à sanguinis educatione in lienosis: nam sæpe vidi insignem vtilitatē eos percipere, si vel libram sanguinis secta vena deponant. Auctior itaque redditus sanguis tollatur, ne putrescat, cùm à natura euinci & gubernari nequeat: ita reddetur corpus meabile, siccus, & ab infarctu tutius.

Affectum comitatur Copia, & Tempus. Copia educendi sanguinis, notari debet ex quantitate affectus morbifici, tū plethoræ copiā, tum ex viribus ægrotum. Huius quantitatis difficilis perceptu obscuritas, inquit Galenus, coniecturalem reddit medicinam: quod peculiaris natura nos lateat; ad quam tamen copiæ vim metiendam esse

1. Aph. 3.
Ægri
naturâ
varia.

dicebat Hippocrates: cuiusmodi, dicit, natura fuerit eius qui perferet, pro eo ac decet faciendū. Quasi dicat Hippocrates, quantitatis cautio nō solūm ex affectionis magnitudine, sed & ægri naturâ accipi debet: naturâ communi, propriâ, insitâ, & aduentitiâ: in tēperamento, habitu, humorum dominatu, consuetudine & diætâ. Hæc sæpe nos latent. Præterea & ambientis aëris futura tēperies nobis incomperta est: sæpè enim eius rapido æstu præter spem incandescente, dissipatur ac exhauritur sanguis, quod minimè cogitabamus: & febris plurimum depascitur sanguinis: habitusque humidus facillè tenues in auras soluitur; hinc vires fractæ languent. Tutior tamen vsus phlebotomiæ quàm pharmaci, nā ex arbitrio nostro sisti potest. Quidam suadēt hyeme liberaliùs emittendum esse, parciùs æstate: reliquis temporibus mediocriter, modò morbi respondeant. Copia decens quatuor his præceptis proximè captatur. I. Si vires prostratæ languent, ac plethora grauis & impura premat, aut magnus morbus bellum moueat, adèd vt vacuatione copiosa opus sit, partienda erit sanguinis educio: vt ego, inquit Galenus, feci; nam pauco sanguine educito, melicratum exhibeo cum hysopo, postridie iterū traho sanguinem. II. Vbi feruescentis adest sanguinis plethora, acutissimā accendens febrem, ad lipothymiā (si æger par fuerit) educatur sanguis. III. Pulsui manus medici perpetuò hæreat dum fluit sanguis, ac faciem ægri inspiciat, & impetum

Quantitatis
limitatio.

effluentis sanguinis, num eius robur languescat: si quid horum synopen præfagiat, supersedendū ab emissionē. IIII. In inflammationibus, finis effluuij sit sanguinis mutatio, vel in melius, vel deterius: id enim ab inflammata parte elici denotat: nam qui in inflammata parte detinetur, mutat colorem, ex ardore partis: vt in pleuritide, dum pro rubro fluat liuidus: nam ita excoctus fuit in inflammata parte qui toto corpore nigrior erat sanguis: vel pro crudiore, dum manat rubrior & flauior. Verūm non semper eò prouehi debet: nam vires id interdum non ferunt, interdum & malignitas inflammationis adest, ita vt nihil exhauriri possit ab inflammata parte, adèd cōniuent ibi interdū omnia. nōnunquam à prima natura ater sanguis corpori inest, quo suauiter pro nutritu fruitur id corpus quod naturâ melancholescit, vt notauit doctè Aretæus, de melācholia agens. Quātitas educendi sanguinis maximè ducitur à morbo, aëre, & corporis habitu. ita antiqui. hodie copiarum rationē quidam aucupantur ex ægrorum habitu, venarum amplitudine, & earum plenitudine. In grauibus morbis non tam interest qualem detrahas, sed qua copia, indicatione ducta à morbi magnitudine, statu, & ægri viribus. In rupta pulmonis vena, primò liberalissimè educitur sanguis, altero die aliquantulū minus: & tertio die paucus euacuatur. In peripneumonia, angina, & pleuritide nunquam nimis maturè nec nimis copiosè, dum ferant vires, educi potest sanguis. In magnis corpo-

Tempus. Gal. 11. de sang. mis. Cap. 10. **N** corporibus quidā vno die ad quinque libras surgunt; metu suppurationis & tabis. **T E M P V S** secandi venam, inter ea est quæ necessariò comitantur affectum. Quorum itaque morborum causa est plethora, hoc est, in quibus morbis sanguinis feruētis copia apparet, his confestim venæ sectio adferatur, priusquam in nobilem partem sanguis sese transferat: vt in febribus synochis, antequam sanguinis moles torreatur incendio, & putredo inualescat. Quare dicit Galenus, ne per noctē sanguinem trahere vercaris: nam ridiculum, quòd quidam à septima hora ad duodecimam tantum sanguinem emittant: imò, inquit, quocumque die scopos mittendi sanguinis inueneris, facito: etiam si is vigesimus ab initio extiterit, modò vires annuant: & secundo die, si vires non emicent, ab eius usu vereri oportet. Quare scripsit, quauis diei ac noctis hora vena pertundatur, modò per febres id fiat in paroxysmorum remissione: imitatione naturæ, quæ ineunte paroxysmo sanguinem nunquam eiicit. Abstinentium etiam in summo vigore qui crism excipit: nam Hippocrates dicebat, Vbi fames, laborandū non est: in vigore est fames: Quemadmodū per sanitatē, corpore inediā confecto nō laborandum, ne vires ab exhausto fractæ, accedente labore languescant. In quibus autem morbis (citra febrem essentialē) phlebotomia opus est, confestim id agatur: quòd nondum vires prostratæ languent, vt in angina, pleuritide, peripneumonia, aliisque inflammationibus, quæ præcipuè in-

ductæ sunt ob sanguinis copiam. Hinc Hippocrates dicebat, purgandū in peracutis, hoc est, in quibus statim symptomatū plena sunt omnia, & intra quartum aut septimum diem iudicantur; si, inquit, humor sit efferus, eodem ipso die quo ferri incipit, excludendus: nam affirmat, in huiusmodi cunctari calamitosum esse. Si autem morbi magnitudine nō vrget, præstat manè incidere venam, horam antè vigilantibus: quòd manè funditur sanguis. Absit cruditas à ventriculo ac venis, in usu phlebotomiæ. Iteratæ detractionis tempus, cum euacuationi tantum studemus, eodem die esto: nam si Reuulsio curæ sit, si vel duobus deinceps diebus fiat, meliùs ac faustiùs illa eueniet.

Inexpugnabilis & Reipublicæ calamitosa quædam imprudentia, nomine ac umbrâ præclaræ scientiæ, huius æui medicos ac chirurgos ferè inuasit: vt ignauus Accesius nauta, quem cum navigationis tæderet, lunam infaustam causari solitum ferunt; sic medici quidam vt abdicent morbos, inauspicatos dies lunæ criminantur, dum conclamatum sit de ægri vita. Quin dum ex lunæ variis concursibus, ac zyzygiis cum sole aliisque erronibus stellis, tempus venæ secandæ captant, toto quod aiunt cælo aberrant; ac funestam calamitatem sæpissimè hominibus inferūt: cum neglectâ curandi occasione (in qua *εὐραγεία* acuta & inflexibilis est) tempus actioni opportunum perit, hincque ex malo curabili, insanabile efficiant. Hi si intellexissent, quid luna aliæque sydera possint; & quibus pecu-

4. Aph. 10.

Ma'è à
chirurgis
obseruari
lunam in
phlebotomia: Astrologica demonstratio.

liariter bellum & quo tempore indixissent; non susque deque omnibus omnia vel facere, vel iniuria esse quæ ex syderibus dimanant, existimassent. Quare non ego, sed illi in causa sunt quod hæc paracbasis longius aliquantulum excurrat, quò semel quantum auctoritatis lunæ, in venæ sectione cunctaq. pharmacia ascribendum sit intelligamus, receptusque error castigetur. Non ego is sum, qui diuinâ illâ efficaciam, qua efflorescunt in his inferioribus, spoliare sydera cælumque velim; sed doleo, ignauissimos homines, his vitalibus viribus nimis confusè omnia ascribentes, ad calamitatem & internecionem generis humani abuti: iterumque alios, tam conspicuas notasque sensibus naturæ vires in hoc amplissimo theatro tam clarè suas personas agentes, à mûdo exclusisse. Reuerendus ille senex Hippocrates scripsit, naturam eruditam esse, ac arte & iustè quæque peragere: & post eum Cicero prodidit, à natura cieri motus in corporibus necessarios, cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Hæc naturæ admiranda vis, quid potius erit quàm perpetua ubiq. DEI præsentia? qui pulcherrimo decore voluit ornari ad sui ideam cuncta quæ cõdidit, & nusquam nõ homini obtrudere vel in quaque herba præsens suum numen: ideo vim quandam diuinam dimanare sinit in hæc mûdi pomeria, per sydera primùm ac cælestia mœnia peruadens elementa, & quicquid ambitu mundi concluditur traiciens. Nullo enim modo

animum inducere possum, vt credam, vegetam vniversi floridamque illam vim, qua cuncta producuntur, ex materiæ potestate proficisci: cum materia ignara omnino sit formatricis sui (quod enim alienum à diuina forma est, id seipsum informare certè nescit) sed quandam ad formam iam cælitus suscipiendam idoneam parationem (quam Platonicæ formæ inchoationem vocitant) adesse debere fateor: eamque, aptitudinem vel priuationem libenter voco. Non tamè quod formæ hinc ducantur tanquam ex naturæ sinu & gremio; sic enim formæ constabunt quadam materiæ temperatione, & quasi harmonia: quæ sententia iam diu ab Aristotele explosa fuit: & intendi poterunt, & remitti. Omnino igitur vis ex summo DEO per astra sparsa, hæc cuncta peruadit voluitque. Ex hac tam præclara vi, dictum fuit olim, Solem & hominem generare hominem. Quam sententiam pulchrè explicat naturæ ille filius probusque rerum omnium depictor, libro De mundo ad Alexandrum: huc enim esse Aristotelis, vetustus scriptor Iustinus Martyr affirmat. Tota enim mundi machina, duabus naturis à summo DEO absoluta est; vna, cælesti: altera natura, in elementari corporea que mole posita fuit. Prior hæc nitida cælestisque virtus, spaciosè immensoque discrimine à corporea tarditate & materiæ mole recessit: non vllum enim sibi contrarium agnoscens, à quoquam turbulento elementorum incursu nec conentitur nec pessundatur. Quare doctè olim dicebant Ægyptij, τὰ ἐν

Forma
paratio in
materia.

1. De
mal. 30

2. De na-
tura deo-
rum.

Natura
quid.

Forma nõ
ex mate-
ria.

τῶν πλῆθει καὶ ὁμοειδίᾳ πᾶσι ὑπὸ τῆς
 ἐργασίας εἰδῶν. formæ afficiuntur à
 cælestibus formis. Ex hac cælesti
 potentia, graui sympathiâ cælorum
 ducimur: vtque ferrum, magnetis;
 ita hæc, cæli varios motus persen-
 tiscere ac sequi videtur. Hæc quæ
 est nobis cū syderibus *συνωρισίσεις*,
 imminetia mala sæpè præsentim-
 us: indicio, hanc nostri partem
 altioris esse originis, alioque (id est
 cælesti) raptu affici quàm elemen-
 tari pondere pressæ substantiæ: adeò,
 vt iugulatum cadauer in hæmor-
 rhagiam effusum (harum virium
 antipraxiâ) indicium det præsentis
 latronis. Cùm itaque elegas hæc
 vniuersi vis motum sequatur cæle-
 stium orbium, quantò illi illustri-
 ore micant lumine, abundantiusque
 luce circumfluunt, terræq. vicini-
 ores voluntur, tantò promptius
 choragum suum sequetur hæc cæ-
 lestis vis: At in corporibus cælesti-
 bus nihil sole splendidius, nil lunâ
 post hunc celebratius. Attamen lu-
 na quòd micat lumine, id totū soli
 acceptum ferre debet: seu longissi-
 mē à sole digressa pleno orbe *παν-
 σέλιω* fulgens: (quod decima-
 quinta ferè luce euenit) seu cum so-
 le morata ferè biduo, iamq. à coitu
 solis emersa, corniculata, Hecate
ἠλωιδής vocetur: aut longius pro-
 gressa à sole, septimâ ferè luce con-
 spiciatur * *διχόπομο*: hincque cot-
 tidianis auctibus crescente lumine,
 propemodū vndecimo die gibbosa
ἀμφικυρτ appareat. quò spacio-
 sius à sole aberrauit, hoc plenius
 orbe nitet. At diametri spacium
 emensa *πανσέλιω*, paulatim (ad
 solem reditura) minuitur, ac iterum

ἀμφικυρτ dici incipit, dum per
 triplicem iam dictâ formam (vnde
 Dianâ triuiam olim vocauere poë-
 tæ) Solem subeat ei que iungatur,
 ad easdem vices mox exitura. Non
 aliunde hæ facierum lunæ variæ
 imagines à naturæ studiosis homi-
 nibus depictæ fuere, quàm ex præ-
 cellentium quadâ virium lunæ ob-
 seruatione: quibus efficaci impetu
 nouam cæli auram componit, no-
 uo cum vultu aridet mortalibus:
 quodque plantarum animaliumq.
 vernantem naturam (quouis impe-
 tu affecta) in suam temperiem du-
 cat: occultosque sensibus motus,
 mutabundis rebus inuehat. Hæc
 agit conatu vario, efficaci, aut lan-
 guido: vt luce decora, plenius splen-
 duerit: aut hac fraudata, viribus
 quasi effæta elanguerit. Dum enim
 sub sole quasi vsta iacet torpida,
 nulla adblandiens amœnitate vul-
 tus mūdo iam tenebris induto, nec
 tantâ luce conspicua quantâ um-
 brâ rebus deducere posset, id quod
 biduo ante congressum cum sole
 atque secunda luce ferè à coitu illi
 euenit, nullâ efficacem vim ex illa
 per mundum fluitare obseruatum
 fuit. Quæ enim res cottidianis au-
 ctibus crescunt ac decremento ta-
 bescunt, quæque cum luna (vt illa
 variè mutabilis est) variam faciem
 ducunt, hac sub sole latente lumi-
 neque exuta, supersedere ab omni
 motu videntur; arbitrio quasi lunæ
 silêtes. At id occultationis spacium,
 quo premitur Phœbeis radiis, nec
 oculis humanis sese videndâ præ-
 bet iam occumbente sole, nō certâ
 stataq. periodo à summo Deo præ-
 scriptum fuit: modò enim citius,
 modò

Luna vbi
 res, vt fa-
 cies va-
 ria.

Sub Sole
 cum est
 Luna.

Id est fa-
 miliaris-
 late &
 cordis.

Varia
 Luna fa-
 ciei à So-
 le.

Id est
 dimidia-
 ta.

modò seriùs sese lumini solis eximit ac noua apparet; vt varia latitudine voluitur, vtque signum quod obsidet tardiùs aut ocyùs occidit. Nec etiam tunc cùm primùm libera à solaribus radiis emicare cœpit, nec à Sole tanto cùm nondum circumfluit lumine quo umbras rebus eximere possit, aliquem ingentem effectum rebus mutationi vel leuissimæ obnoxiiis inuehere potest: sopitâ adhuc eius vi, luminis ex inedia, est enim lumen Lunæ (vt in Eclipsibus videmus) obscurius quàm vt natiuâ efficaciam inferna hæc attingat, ni, illa aureâ catenâ Iouis (solaribus dico radiis) in *ὀψοργεία* positum, fulciatur. Accedit & illud, quòd ita naturâ comparatum est, vt quicquid his mûdi mœniis sub luna conclusum vagatur, cùm efficaciam aliquã alteri inure re velit, id omne irritum fore, ni nactum fuerit suo impetui tempus satis spaciosum. at Luna cùm noua iam iam mundo apparet, ilico præcipitiù Solis sequitur ac nobis eripitur: quare tunc nihil orbi terrarum robustè efficaciam ingerere poterit. Et quamuis primò emicans Luna quid de se luminis fundat, id nimis hebescit ac titubat, crepusculo solari exceptum: Sol enim tanquam astrorum quidam rex, aliorum cohibet imperia. Hinc iam satis manifestum esse arbitror, nullâ præclarâ viuidaque vi lunam impellere posse res huius mûdi, (quæ alioqui eius imperium maximè sequuntur) antequam tantum splendoris induerit, quantum tenebris nocturnis euehendis ac umbris iaciendis suffecerit: siue iam iam so-

laribus radiis premèda, seu, reuiu-
da luce ab oppressore suo Sole libera-
rata, recens emicari. Non leui cal-
culo hæc ratio ponderari deberet
ab egregiis illis aërambulonibus
Iatromathematicis, qui nefas esse
ducunt venam soluisse, lunâ syno-
dum suam cū sole celebrante: dum
non nouo cornu falcata annuat no-
ua Hecate: cùm interim illa, cun-
ctis viribus spoliata, nullaque insi-
gnis luce, sub alterius imperio ef-
fecta langueat. Tunc profectò mi-
nimè ab ea timendum, cùm viribus
expugnata stupet. si enim quid pe-
riculi inuehere possit, hoc plenius
dabit, id incrementi faciente splen-
dore, quo terram à nocturnis tene-
bris vindicare potest. Quare, luna
silente, vena tutò solui ac vsus pur-
gantiù sine discrimine vllò à luna
iniri poterit. Nulla autè figurarum
rotatione (perpetuò enim Proteo
mutabilior luna, noua facie se con-
spiciendam præbet) altius suas vi-
res exerit, vel vehementiùs præcla-
ram suam potentiam ad nos præ-
cipitat, quàm cùm libera à solari-
bus radiis, noua recensq. apparet:
viuida etenim vi, & quasi vernante
iuuentâ tunc diutissimè fruitur.
Cùm autem incremento ad sum-
mam vim pergat, dum toto orbe
splendet, tunc pleno vigore ouat.
Verùm id multum eius efficaciam
atterit, quòd incremento ad maio-
rem molem prouehi nequeat: iam
enim pleno orbe, in summum lu-
men euasit. & cùm suo statu mane-
re non potest neque quiescere; re-
stat, vt iam extenuanda, breui tem-
pore hac tam præclara facultate vti
possit: ilico etenim vt incremento
constitit,

Recens
Luna.

Contra
Astrolo-
gicas E-
plamari-
des.

Vena se-
cūda Lun-
na obser-
rata.

Libera
sole.

Plena.

constitit, rursus decremento emaciatur. Quare primam excellentioremque vim eius sextili ascribimus, hoc est, cum duo zodiaci signa à sole recessit: quod si afflatu aliorum syderum tunc calamitatem minetur, maximè à vena secunda temperandum foret. Ab ea eius forma efficacissimū est *πενσέλιων χῆμα*, cum in orbem circumacta soli opponitur, & plenilunium tēpus dicitur. At dum quartam cœli partem emensa, à sole tria signa euagata *δὲ χότου* cōspicitur, nec tunc imbellis omnino illi est actio, nec celebris efficacia: sed mediocritate quadam tēperatur lunaris vis. Verum hebescit vndique, cum quatuor signorū serie (quæ tertia pars cœli est) à sole migravit: dum vltima sextili languescens, à sole combusta, omnibus viribus spoliatur. His cum sole concursibus res has mutabundas vario ductu laceffere solet. nec solū elementarē versare molem, quin & vegetatricem plantarū animam brutescentiumque animalium, ac corpora hominum varia remperie aspirare consuevit. Excludimus itaque tres dies à lunari mēse, quibus deposita viribus languet luna: nec quicquam asserimus illā ductu suo gubernare posse; sed cuncta gubernacula cosmica cedit monarchæ syderum Soli: ut quæ lubenter fateatur illi acceptum ferendum, quicquid toto orbe lucis spargitur. Restibiles igitur sunt dies viginti sex horæque duodecim, quibus rerum dominium nocturnum sibi luna vendicare potest: Etenim cum mensis lunaris numeret dies viginti nouem cum semisse, his si

deducantur tres luces, quo spacio nullo præcellenti splendore micat, (quod fit sesquidiē antequam soli iungatur, & post sesquidiem cum à sole migrare incepit: quod spacium tres dies implet) reliqui erunt dies viginti sex, horæque duodecim efficacioribus lunæ actionibus dicati. Hi sunt dies illi, in quibus variè ab aliorum syderum confluxu affecta luna, robur aut infirmitatem, salubria aut insalubria corporibus aspirare potest. Non tamen æquè omnibus felix aut infelix luna lucrere potest: ut enim in genitura prima varios quis anæretas diuersosque aphetas sortitus fuit, ita luna per horum loca ac radios felices aut infastos circumacta, (lata, vel infasta) cuique peculiariter sospitat aut infelicitat venæ sectionem & pharmaciam. Quare luna in Leone versante, æquè feliciter, ac Aquariū percurrente vena soluitur: modo ab anæreta (ei homini cui percutitur vena) loci hi liberi fuerint. At insignes astrologicarum Ephemeridum auctores, ex vera Astrologia hæc obseruare non didicere. Sed in vehemētioribus morbis, qui breuiter & cum summa vi suā ab-

*Observatio.
Luna felix non omnibus fausta.*

Cautio.

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Scio

*Virium
luna se-
rim.*

*Dimidia-
ta.
Medio-
rum.*

Languida.

*Dies, qui-
bus luna
viget.*

in his me methodi legem violasse: sed coëgit me huius qui insania, cui castissimæ huius virginis stuprum potius ascribi debet. Sed *ἵκανώς ἡ δολολεγήσαμεν ἔχ' ἐκόντες, ἀλλ' ὡς ἡ παροιμία φησὶ, * μαινομένοις ἀναγκάζονται συμμανῶσαι.* sed ad secandā venam potius redeamus. Locus in quo aperiri vena debet (in vniuersali euacuatione sine peculiari affectu) est in brachio vena basilica: nā hæc proximè ex fonte sanguinis, hepate, exhaurit sanguinem. Quibus autem eximia pars quædam (vbi euacuat non fuerint) infestatur, his ita tundatur vena, quasi iam inuaderet morbus: vt podagricis liberetur brachij vena. epilepticis, vena pedis: & in cruribus, à mensium & hæmorrhoidū suppressione si malum enatum fuerit. Quate imbelli in parte, per Reuulsionem commoda est euacuatione. Hodie sæpè secatur vena in manu: Galenus nō manus venas pertundit, sed brachij. Dicit quis, secundo libro ad Glauconem, emittit sanguinē ex dextra manu. Respondeo, vtitur manus nomine pro brachio, Græcorum more, vt sæpe solet; & ab ipso explicatur in libello De motu musculorum. Diuidit manum in tres partes, & secundo De vsu partium, & secundo De fracturis.

Tertiò in venæ sectione obseruandæ erunt circumstantiæ, nam ex his virium robur & morbi magnitudo (ex quibus præcipuè mittendi sanguinis tecmaris ducitur) clarè nobis indigitatur. Inter circumstantias primum locum obtinent **VIRES**, quæ consistunt in spiritibus, humoribus, & partibus so-

lidis. Hæc num integra validaque sint, indicant facultatum functiones: nam naturales, ex alui & vesicæ recrementis, ab vomitu reiectis notabimus: si enim naturæ rationem fugiant, à venæ sectione abstinendum. Nunquam enim illis exhaustis ac fractis, euacuatio erit molienda. Istud obscure, vt ipsius est mos, innuebat Hippocrates, *ὅτι λιμὸς, ἔδει πνεῖν*, corpore inedia confecto non laborandum. quasi dicat: quemadmodum per sanitatem, non est laborandum, ne vires ab exhausto laborantes, accedente labore labefactentur: ita, cum certa de causa futura est aut antecessit fames, nunquam sanguis extrahendus, aut purgandū: nam in exhaustis viribus est fames. Vitalis facultatis robur, ex pulsu, voce & respiratione animaduertemus: vt animalis vim, ex motu & sensu. Vires autem imbecilles languent, vel ab exhaustu, aut ab oppressione. Hoc accuratè noscendum, nam moribundos ægros in Charontis cymbam præcipitant, qui reliquum vitæ spiritum cum sanguine profundunt, in iis qui ab exhaustu languent. Propterea doctissimus ille medicus Aretæus, vbi de melancholiciæ curatione, ita scripsit, si quis in iuuenili ætate, melancholiâ corripitur, & veris tēpore, vena in dextro cubito media cadenda est, quamuis sint graciles & sanguinis inopes. Sed vires consulendæ: nam quamuis sit crassus, biliosus cōcretus, & ater sanguis, qualis amurca; nihilominus ipse, naturæ prædium est atque alimentum. Vires autem mole pressæ, vberem vacuationem ferunt.

* Cum in-
sanis, in-
sanire co-
acti.
Locus.

Circum-
stantia.

Vires.

ferunt. Num autē ab exhausto aut pressu langueant, docebunt causae quae praecessere: nam si tales fuerint, quae virium substantiam (hoc est, spiritus, humores,) aut partes solidas) dissipant, ab exhausto laborare indicio erunt. Diripiunt autem hos vitae thesauros, vel res praeter naturam, aut res non naturales. Res praeter naturam, vt morbus & eius causa. Morbus qui exedit aestu suo humidum primigenium ac fluxum id reddit: vt febris pestifera: & qui longo malo vires atterunt vt tabes. Morbificae causae, quales crudi vel squalidi & fetuidi succi; siue toto fusi corpore aut parte concepti. Toto corpore fusi crudiores succi, languorem pariunt: in his, dicebat Galenus, notandū, num fracta omnino sit titubansque virtus, & num prolixē humor à sanguinis natura degenerarit. Nā cum à crudis succis virtus languet, ad eō vena secta vires prosternit, vt reuocari nequeant: maximē si febris accesserit statu aestiuo, stomacho fracto, corpore molli facileq. dissipabili: hinc enim syncope, & algor corpus premit. hi plumbeo sunt colore, vel ex albo pallēt, & pulsus inaequalis est. Eo modo si crudus frigidusq. succus os ventriculi occupat, cor vicinum refrigeratur, & inde torpescit spiritus vitalis. Toto corpore si succus torrefactus sese explicarit, spiritus vastat, vel stomacho si insederit, eum vellicat ac mordet: vnde animi deliquia eueniūt. Quare cum causae adsunt quae spiritus, succos, aut partes solidas labefaciunt exhaustionē, à phlebotomia temperandum. Inter morborū causas quae

vires prosternunt, est & Venenum, ^{Venenū.} intus procreatū, vel foras illatū. Intus genitum, vt à grumo sanguinis, vel à menstruo putredine contaminato, aut semine vitulentiā inquinato. Grumi sanguinis qui in vesica, intestinis, thorace aut ventriculo residerunt, fædos colores, syncopen ac languidos pulsus induere solent, non sine ingenti taedio animi. Venenum foris illatum, vt ab aëre labe ac pernicie pestifera asperso. hinc aër spiritus polluit, ac mox humores inuadet, & vitae opes vastabit: quare tunc vena nō secanda temerē, ni incunte iā iam morbo. ita, ab ictu aut morsu venenato cum spiritus corporis ac succi fendantur, à phlebotomia pax sit. Res non naturales etiam explorandae, num vires exhauserint: qualis praecedens aëris aestus, an spiritus inflammarit: aut num strictū frigus oppresserit calidum natium: an inedia nimiaue exercitationes corpus exhauserint: vt vigiliae & immodicae excretiones quae spiritus vna euehunt, nimia Venus, animi pressus moeror, & exhauriens spiritusque effundens effusa laetitia, & multum diuque affligens corpus dolor. Haec cum praecessere, nō erit sanguis liberali manu eximendus: nam vires fractas esse inde significatio fit. Quod si haec exhaurientes causae absint, & tamen vires prostratae langueant, has copiā opprimi intelligemus, hoc fit, venis ac arteriis humorum mole infarctis, ac viscidis lentisque succis impeditis. Secundum locū inter circumstantias obtinet Temperamentum corporis, quod examinandum est in

6. sang. nif.

Crudi succi.

5. loc. af. 4

Res nō naturalis.

Oppressio virium

Temperamentum.

colore, mole, caractere & habitu. Qui enim roseo colore efflorescunt aut fusco habitu ensarco, denso ac firmo, venis amplis præditi, liberalem vacuationem ferunt. At corpora rara, mollia, tenuia vel obesa, ægrè largam vacuationē sustinent. Propterea Galenus dicebat, Quæ ex mulieribus albidiores sunt, sanguinem solent gerere tenuem, quate scarificatione malleolorū pedis iuantur: At nigriores, sectâ venâ, curato: crassum enim sanguinem colligunt; maximè si amplas venas fortitæ fuerint.

De sang.
miff. 9.

Ætas.

Ætas præterea inter circumstantias est. senibus nō tutò secatur vena: nam his substantia virium exhausta est: hoc est, quibus spiritus, succi ac partes solidæ iam robustam vim suam exspirarunt. Attamen senex valetudinarius, non ab exhausto senij aridus & exanguis, sed his malis fatigatus, quæ tertio Aphorismorum, ultimo describuntur, frequenti moderatâq. sanguinis educatione liberatur. Si acuto morbo implicetur venoso corpore senex, vena commodè pertundi poterit, & extrahi ad aliquot uncias: & per *ἰσχυρὰν* repetita ablatione, sanguinem exhaurire prauū. Nam Galeno auctore, & septuagenariis, modò pulsus emicet, si affectus iusserit, copiaque sanguinis adsit, venam pertundemus. Ultra tamen quadragesimum quintum annum rarò excellens adest virium robur. Sed dicet quis, Igitur pueris liberali manu debetur sanguinis extractio, nam virium substantiâ abundant. quo enim quid propiùs abest à suo ortu, eò triplicis naturæ viui-

dior substantia inest. Dicimus, vires naturales puerorum valere quidem in præsentī: tamen, quia metuimus, ne phlebotomiâ eorum vires dissipentur, (utpote multo vuido & dissipabili consistentes) abstinemus in pueris à sanguinis missione: non tam respicientes ad præsentem statum, quàm futurâ infirmitatem. Hæc dicere videtur Hippocrates, cùm inquit, Quæ incrementis augetur, ut pueri, in quibus fit promotio ad vltiorem terminum, mutatione magnitudinis quæ fit per extensionē seruata pristina continuitate, plurimo nativo calido circumfluunt: nam multum habent humidi spermatici primigenij, perfusi calore & spiritu. Est enim cōstantaneum, ut id quod augetur calidissimum sit: quò non solum materia dissipata restauretur, sed quæ prius extiterat, connaturalis materiæ accessione augetur: propterea, inquit, iis multo nutritu est opus, alioqui corpus tabescit. Quare cùm pueri vuido calore circumfluant, plurimumq. dissipetur in illis ob incrementum & exhaustionem; nam tenellum corpus assiduè fluit, proptereaque multo nutritu opus sit: eius loco multa inedia reponenda non est: id autem faciet larga phlebotomia. quare à pueris sit illa aliena: nam exhaustio & incrementum illis est loco venæ sectionis. Attamen Galenus, pueris decimumquartum annum agentibus, sanguineis, & acuto morbo implicitis, cotylam siue libram extrahit: & viribus perseuerantibus ac premente morbo, iterū semilibram educit. Nam quæ insensibiliter ex-

Senib. qto
mittendus
sanguis.

pueris
an
tom
9 petal.

hau-

hauriuntur, sensim id agunt, nec ut decet accidunt influentem causam morbificā quæ vrget. Vnde neglecta occasio cū reuocari nequeat, pereunt, cū iam incubuit tota materia parti inflammata. Et quidam robusti sunt decimo anno. sed his parcius demes: aut saltem cucurbitis, vel hirudinibus eximes.

Aër suum locum inter circumstantias sortitur. qui consideratur in regione, anni tempore, & cæli statu, quo ille lōgius à genuina sua moderatione recesserit, eò parcius euacuandum. Ver, inquit Galenus, præcauendis morbis est idoneum: complures, ait, sanauit, qui tribus quatuorve annis ex podagra laborarant, educto sanguine qui copiā luxuriabat. Sed, inquit, in victus ratione non susque deque sese gerere postea debent. Inter circumstantias est & euacuatio, subito cū vena iam iā secanda est prosiliens: Ea, vel morbi causam delet, vel eam non demit. Si non accidit morbi causam, venam aperiemus; sed recreatis primū agris. Vt in pleuritide ineunte erumpēs sudor, aluus, vel vomitus: nam nihil rectè fit quod antè significatum non fuit, signis apparentibus ad speciem, & tempus crisis, hoc est, signa pepasmi debent præcedere excretionem. quare viribus firmatis hisque symptomatis sedatis venā secabimus. Ita in febre ardente, cū vomitus molestus est: nisi à venoso genere, ventriculo immisso succo ac halitibus, is euenerit. sed in his aliquantum parcius euacuandum erit. Sin euacuatio morbificā materiam excludit, nihil tentabimus nos, modò

absolutè excussa illa fuerit: ex sententia Hippocratis, cū inquit, Quæ iudicantur perfectè quæque iudicata sunt exquisitè, nullo modo nouanda, neq. medicamentis purgantibus neque aliis irritamentis, sed missa facienda. Quasi dixerit Hippocrates, si rectè mouet natura, excitabis hypercatharsin: si tu καίτω, illa fortasse αἷω: sed præstat non irritare, nec ad reuulsionem, aut deriuationem, vel vacationem, aut coëffusionē quā quod deest vacationi excitamus: natura enim sagax suos dentes ac vngues gerit. Quod si natura euacuationē tentet nec perficiat, nos coëffusione vtemur, hoc est, quod deest vacationi excitabimus. Vt cū (vel in puerperis) grauis pleuritis aut hepatis inflammatio aut febris vrget, & substillum sanguinis languidè ex naribus vel hæmorrhoidibus aut vtero feratur: quo fluxu, non alleuantur morbo impliciti, nos venam secabimus. Ita in pestiferis febribus vbi stillant pauco sanguine nares, liberali manu exhauriemus sanguinem: quòd mole pressa natura, illi sit impar: tentat quidem excretionem, sed fatiscit. mirum est, inquit Galenus, vt natura sese abiiciat, cū quod tentat, excludere nequit. Consuetudo inter circumstantias suam vim habet. Quibus sapius secta fuit vena quique tulere ex facili, his securius soluitur. QVÆSTIO est medica, & vsu nobilis, num ingruuidatio inter circumstantias sit phlebotomia. Quidam enim venam non esse secandam grauidis existimant, quòd insolens veteribus id remediū fuerit in grauidis: nec eius Hippocra-

Consuetudo.

Quæstio de ingruuidatio.

grauida

tes vnquam meminit, nisi semel in morbis mulierum. Si, inquit, florenti ætate, mulier sanguinis plena, viribus valida, ex partu difficili laboret, missus sanguis è malleolo, naturæ impetu deorsum conuerso, præcipitatur fœtus. Sed id non lucidè ostēdit, vtero gerentibus Hippocratem venam secuisse: nam id præscripsit quò ex vtero laberetur fœtus. Præterea quinto Aphorismorum, inquit, in muliere vtero gerente, vena secta abortionis causam adfert; maximè si fœtus grandior sit. Respondemus, Hippocratem id affirmare de copiosissima sanguinis extractione, qua fœtus suo genio defraudatur: nam olim non nisi ad libræ pondus, quod minimum erat, trahebatur sanguis: vel fortè de vena pedis id protulit Hippocrates: nam hæc præcipitat fœtum. Etenim Celli tempore, vsus docuit, non adedò reformidandam esse phlebotomiam in ingruuidatis: quod auctoritate Hippocratis firmatur, & ex naturæ lege. Nam quæ corporis constitutio eiusmodi est, vt in corpore cacochymix obnoxio, validum pharmacum purgans sine detrimento feret, eadem, in corpore à cacochymia expedito, faciliùs phlebotomiam feret: quia in hac sunt validæ virium substantiæ: in illa pollutæ. at ingruuidatio talis est constitutio, quæ pharmacum validum ferat: igitur feret & lenius, nempe phlebotomiã. Et quicquid ex naturæ imitatione fit, id beneficit: at sanguis sæpè commodis ingruuidatarum profunditur vltro: annuente itaque natura, vena interdum his solui poterit. Quare pri-

✦ Aph. I

mis mensibus tutò vena aperietur, si morbus grauis vrget: nam fœtus menstruus vix drachmæ pondus æquat: trimestris, vix semunciam: quare nò multo nutritu illi opus est. Et si peracutus morbus bellum inferat extremis mēsis, sine fœtus & fœtæ iniuriã emitti sanguis poterit. Nam etsi pluri grandior fœtus eget alimento quàm primis mensibus; quia tamē pluribus mensibus sanguis retentus fuit, copiosior postremis mensibus existit: indicio est lac, quod tunc copiosissimè gignitur. In lacte enim fucus naturæ est: nil enim aliud, quàm albus sanguis, coloris aucupio crudelitatem fugiens. Quartum quod annotandum erat, vt rectè & conuenienter fieret venæ sectio, erat instrumentum quo vena pertunditur. Vt opportunè eo vtamur, quædam ante venæ sectionē peragenda sunt, quædam in sectione, & quædam post. Antequã ineatur sectio, curandum ne quid crudi in prima aluo hæreat, quod postea in sanguinis educti sedem trahatur. Cruditatem præsentē agnoscimus ex assumpti cibi qualitate, copia, tempore & vtendi modo: si enim non admodum est quod pastum inierit, cruditas præsens erit: maximè si grauet ac tendat hypochondria, & ventrem. Et cauendum ne putridus succus circum præcordia hæreat, quod elucet ex compressis quasi vinculis præcordiis, & ex nausea: excludenda cassiæ vnciã, remixto scriptulo specierum hieræ. si superas ad partes repere videatur humor: alioqui lenis clyster eluat primam fœditatem. Nisi tamen talis calamitas

Instru-
mentum

Ante
phlebot-
omiam

calamitas

calamitas inciderit, quæ minimè morâ coctionis admittat: vt si quis, inquit Celsus, ex superiore parte deciderit, si contusus sit, si ex subito casu sanguinem quis vomit, quasi dicat, hîc moræ impatiens erit afflictio: quare ilico soluatur vena. In sectione obseruandum: si æger languet, vt se prosternat in dorsum, partibus cunctis ritè compositis ad æquabilitatem: ita enim spiritus facile viam affectât ad partes exhaustas, ac à principibus partibus profecti facile influunt: & viscera in dorsum versa, sedendo quasi quiete mulcentur. Pars prona fricetur à chirurgo, vt emicent venæ: & supra locum secandum, lorum iniiciat artè, si venæ latent: & recto ductu ligetur, ne quid venam tegat, sinistra pollice venam firmet: quò maior renisus appareat, & vt turgeat. Deinde ferrum blandè & modicè obliquè in capacitatem vsque venæ inferat: qua pertusa, ferrum non retro reuocandum est quâ perripit, sed eius acies tollenda, caudâ depressâ. Hoc vt rectè fiat, sit manus sinistra non pensilis, sed minimo & annulari digito, innixa membro: & promineat ferrum prolixius quàm adiget, fugit alioqui visum sectio; & si quis tremor sit membri secandi, assequi venam chirurgi manus nequit. Nec metus est vllus, ne æger metu percussus, membrum aciei inferat: nam semper eam fugiunt, ac longius ab ea membrum secundum abripiunt. Si verò adacto loro vena non se prodat, si subsit quid teres & renitens, ablato vinculo, pars accuratè tactu exploretur: nam si & tunc durities perseuera-

rit, non vena, sed tendo aut musculi caput erit: nam vena laxato loro statim confidit, iterumque vinculo iniecto renititur: arteria micat, sed non pressa loro, quare antè tentabitur digitis. In pueris vena, neruus, arteria ferè simul conglobata sunt: fiat in his amplum, non altum vulnus. Cautio adsit hæc in pertúendis in brachio venis: vt Basilica ferriatur postquam se iunxerit cephalicæ, infra eundo per digiti latitudinem. At cephalica, sursum eundo per digiti latitudinem. Rationem corporum sectio nos docuit. Nam maximus neruus qui ex ceruice, inter primam costam & clauiculam viam legens, toto brachio fertur, basilicæ subest, eo loco, quo ferit digiti latitudo sursum eundo, si consofociationi basilicæ & cephalicæ imponatur: tunc si digiti altera latitudine ad axillas abieris, eo loco supergreditur Basilica eum neruum: dum nempe cursum suum ad cephalicam flectit: ibi periculû. Sin, vt iam dixi, infra pergas, in altum se abdit neruus. Nec etiã tutò in ipsa coniunctione vtriusque venæ fit sectio, cui plerumq. validissimi tendines subsunt. Cephalica autem superius, vt dixi, ferienda: nam ibi ab arteria, quæ ei vicina est, longius abest, nec quicquam periculi habet. Extractus sanguis est inspicendus: vascula alta melius separant sanguinis partes: in patina, magis rubet. In superficie concretæ massæ, rutila flauedine rubescit bilis: hinc purior pars sanguinis est quæ propriè sanguis dicitur (quandâ alioqui tota illa in venis massa, sanguis vocetur.) Dein viscosior apparet

Cautio.

Post phlebotomiam.

In tempore phlebotomia.

Cautio chirurgi.

Notanda.

apparet sanguinis portio, quam phlegma dixere: in fundo ater subsidit, melancholiā illam vocarunt. oculis cuiusq. aucta copia in massa extracta patet, & qualitatis vitium, & factor. tectus seponatur. Primum in usu phlebotomiæ cogitandum, num vena aperiri debeat: secundo, qua in parte: tertio, quo tempore: quarto, qua quātitate: quinto, quomodo. Primum intelligemus ex morbi causā que morbificæ natura: secundum, à loco ægrotante: tertium, à more & motu morbi: quartum, à magnitudine morbi & corporis habitu. si crassior sanguis restagnat, attenuetur: si pinguior, fortu fundatur; absit frigus & metus. raptus bilis ad stomachum si adsit, is firmetur succo granatorum, hinc sectio ineatur. Educto sanguine, supinus decumbat, sileat insomnis. à sesquihora euchymis fruatur cibis: agenda, sumēda, admonenda sint moderata. In Angina, sæpè repetita laudatur phlebotomia & cucurbitulæ, vt & valida purgatio à secundo die: Nam in morbis acutis, prima vel secunda sanguinis missio, ferè non ita iuuat: vt tertio vel quarto repetita. In scabie & cachexia, sæpè & parum sanguinis pertusā venā fluat.

Cucurbitula interdum loco venæ sectionis est: Nam Galenus fuscis mulieribus, maximè cum amplas gerunt venas, has tundendas esse asserit; quòd crassus earum sit sanguis: at in albis & tenellulis, dicit, cucurbitulæ suffecerint: nam tenuis earum est cruor, & inani sectione alioqui frustra lacerantur, cum exiles venæ conuicant.

Hoc seculo & arteriotomia commodè instituitur. hæc, vnica incisione vt in phlebotomia aperitur: cōsolidatio tutò fit, inquit Pareius, quamuis paulò tardiùs quàm venæ vulnus. aptè ligetur, atque quatri-duum totum hæreat, appositis vt decet plagulis. frustra, inquit, plurimis hæctenus suspecta fuit arteriotomia, quòd prorumpentem inde sanguinem sistere, & quòd cicatricem obducere sit operosum, propter arteriæ duritiem ac pulsus perennitatem, & ob metum aneurismatis. Itaque satius esse putant, cutem primò diuidere, ac ab iniectis partibus diuellere, vincire, dein arteriam diuidere. Sed hæc est opinio hominum, omnia tuta timentium. Plagulæ apponendæ vulnusclo, imbuendæ sunt vnguēto rosato aut populneo: nam inflammationē arcent ac partem roborant. Vulnus si errore chirurgi illatum fuerit nervo, studium sit vt exitus saniei, & aditus medicamento pateat: quare ilico balsamum hyperici infundatur, cum pauca aqua vitæ: circumposito repellēte & adstringente remedio. His itaque subsidiis, auctiorem redditam materiam, ex corpore excludimus, ne putrescat: vtque natura leuata onere, reliquū si quid superest, rectè gubernet: Non enim facile putrescit succus in corpore, nisi copia fuerit ea, cui par natura non est. Accisa nimia copiā, ilico transpirat corpus, ac auctor putredinis obstructio abigitur: nā omnis euacuatio corpus siccatur: siccum, inquit Hippocrates, sanitati magis studet quàm humidum. Quare in cunctis, vbi nō abiit longè materia à natura

Anacephalosis.

In Anginā

Cucurbitula.

Arterio-
tomia.

Nervus
id est.

Utilitas
venæ
sæpè.

à natura sanguinis, utilis erit phlebotomia: nam & in melancholia vsus eius non renuit Abincenna. Et Galenus, in exigua obstructione quam nondum secuta est putredo, (vt in ephemera) venā soluit, etiam si notæ plenitudinis absint, vt obstructionem vitaret: obstructionis magnitudo elucet ex vi febris. Quare Galenus dicebat, Saluberri-
um esse in omnibus febribus ve-
 nam aperire: ne illæ ab hoc foco materiæ morbificæ foueantur. Si materia non longè abierit à sanguine, phlebotomia erimus cōtenti; reliquū per sudorē & vrinam exhauriendum. Interdum tribus negociis satisfacit phlebotomia, ac cōposita quasi medicatio dici potest: vt dum in pleuritide, eiusdē lateris vena secatur in brachio, vno illo ictu euacuamus, reuellimus, ac deriuamus.

Ordinis ratio.

Causa Antecedens in vicio est penes

Motum locale: Hæc eget Auerfione.

Qualitatē primā vel secundam. Hæc eget alteratione.

Quantitatē: Hæc euacuatione eget

Pharmacia. vel Phlebotomia.

CAPVT X.

PRIMA PRIMÆ INDICATIONIS PARS, QUÆ de causa morbifica CONTINENTE, quæ adhuc FLUXA & remediabilis est ac loco moueri potest. Et vnde eius remedia enata fuerint.

Ordinis ratio.

TRADIDIMVS primam indicationem duci ab affectu. Affectus autem ambitu continetur

morbis, morbifica causa, & symptoma. Morbificā causam diximus suum domicilium habere in cōtenti. Illa autem esse ex naturæ lege, dum vitium nullum agnoscunt in motu, qualitate, vel copia. Ad vitium motus, auersionem, vtile remedium inuentum fuisse scripsimus: ad qualitatis crimen, alterationem: ad copię peccatum, euacuationem enatam fuisse: quæ copia, si qualitate fœdā contaminata fuerit, purgationem in vsu euacare: si utilis & inquinata materia vnā deponēda fuerit, phlebotomiæ opera illud confici. His rationibus, omnis omnium morborū antecedēs causa acciditur. Huic autem alia causa morborum, quam Continentem vocamus, proximè iuncta est; nam est eius propago atque soboles. Eodem filo ferè trahenda erit huius causæ curatio, quo antecedentem abrūpi diximus. Id enim summum studium in huius causæ amotione esse debet, vt illis succis, qui sese in aliquem locum infuderūt, patefiat exitus. Illud maximè differre videntur, quòd Continens, proximè morbo affedit: Antecedens, vt parens, hanc fouet. Quare cū idem humor vtriusque causæ auctor sit, dum vel propiūs aut lōgiūs à morbo & ægrota parte recessit; igitur eisdem quoque vitiis implicabitur; & eisdē medicaminum ideis propelletur: quod fiet, loci mutatione, alteratione, & euacuatione. Eo differunt, quòd in causa antecedente toti corpori hæc dicata sint: vt enim causa illa, fusa est totā corporis œconomia, ita & medicamenta toti corpori student: at causæ conti-

Differentia inter antecedentē & continentem.

Remedia.

nentis remedia, partibus corporis
 solum operam suam dant: quod hæ
 causæ peculiarem partem tantum
 tentent. Cum itaq. causa continens,
 loci mutatione, qualitate, aut copiâ
 in vitio esse potest; si eius humor,
 loci mutatione vitium fecerit, ille
 humor, vel est fluxus & liquidus, ut
 migrare loco possit: vel adeo im-
 pressus parti, ut restagnandi ignaviâ
 effluere nequeat: vel mediâ confi-
 stentiâ præditus est, ut pars eius mi-
 grare possit, alia verò neququam. Si
 loco sit remeabilis, excogitavit usus
 & ratio ad eius euacuationem, re-
 pulsionem & deriuationem: si in lo-
 co cedere nequeat, ars excogitavit
 eius mollitionem, exhaustiorem &
 pepasimum, vi fomentorum & em-
 plastrorum. At si his non cedit ma-
 teria, validas attractiones, cucurbi-
 tulas, dropaces, sinapismos, caute-
 ria & incisiones excogitavit. Sed
 cum medio modo materia confi-
 stentiâ & impressio sese habet, mix-
 tis medicaminibus pelletur. Hæc ut
 aptè in usum trahantur, explora-
 tum nobis esse debet, quidnam sit
 repulsio, deriuatio, maturatio, & re-
 liqua remediorum genera quam vim
 corpori imprimere possint. Est igitur
 Repulsio, succi è sua sede mo-
 tio, à frigore astringente, austero,
 vel acerbo facta: ut pars à morbifi-
 ca materia pressa, eius ab onere le-
 uetur. Id comòdè fit à frigore stri-
 cto. nam frigus quoddam madi-
 dum est: sed terreum, maximè con-
 stringit ac efficacissimè extudit in-
 fluxum parti succum, & eò quicquid
 viam affectat retrudit. Ut enim ca-
 lidum leptomeriâ præditum maxi-
 mè calfacit: ita frigidum crassum,

vehementissimè refrigerat: ut ceru-
 fa, plumbum, plantago, alumen, gal-
 la, balauftia, solatrum, semperuiuum.
 Horum ingentem sylvam descripsit
 Holerius, Institutionum chirurgi-
 carum libri primi, capite primo: &
 Fernelius, libri sexti capite secundo
 suæ Methodi. His utemur dum fluxu
 fertur materia in aliquam partem:
 ut auertamus inflammationes, ab-
 scessus; & ut partes fluxibus ob-
 noxiæ declinent dolores, & cæteras
 ab humorum illapsu calamitates.
 His utendum non est, ni primò cor-
 pus vacuatum fuerit à causa ante-
 cedente. His rationibus innixi pra-
 gmatici, in phrenitide, cum corpus
 expeditum est à causa antecedente,
 admouent capiti oxyrhodinon ex
 oleo rosato & rhodostagmate cum
 aceto rosato: hæc linteo excepta,
 ceruici, fronti, temporibus, ac capiti
 admouent: sæpe auferunt, ac repe-
 tunt; ne capitis æstu incalescant. Ve-
 rum illa cautio obseruanda in phre-
 nitide, ut ratione vigiliarum acetum
 amoueatur, eiusque loco citriorum
 succus reponatur: alioqui eneca-
 buntur vigiliarum perennitate ægri
 siccitas enim aceti, anathymiasin,
 somni auctorem vastat. Præterea
 ubi tenuis ac acris humor vel vapor
 cerebrum ferit, repercutiendum est
 frigore stricto: at ubi crassus est va-
 por & succus (ut in lethargo, in quo
 omnia tenebras esse ait Aretæus)
 repercutiendum est usu rerum re-
 frigerantium sine adstrictione. In
 phrenitide admouent & pannum
 madidum, ex decocto seminum pa-
 paueris albi, florum nymphææ,
 hyoscyami, foliorum lactucæ, al-
 thææ, violarum, rosarum, plantagi-
 nis: ac

Repulsio
 & deri-
 uatio un-
 de nascit
 & aliorum
 remedio-
 rum ortus.

Repulsio.

s. simp.
 19.

Usus.

Causa.

In lethargo
s.

In phrenitide.

In palmo. nis: ac tandem addunt flores chamæmelinos, priuim immaturos. Eodẽ modo pragmatici transigunt in cordis palpitatione, accipiunt aquæ rosatæ selibram: aquæ oxalidis, boraginis, cuiusq. vncias quatuor: corallij vtriusque, santalorũ, singulorum drachmam: caphuræ, grana tria: pulueris diamargariti frigidi, scriptulos duos: croci semiscriptulum: acetum paucum remiscet: fit epithema in regione cordis: tandem addunt aquam melissæ & parum vini maluatici. Interdum repercutientem sacculũ apponunt: accipiunt rosarum rubrarum siccarum, florum buglossi & nymphææ, cuiusque drachmam: omniũ santalorum, binas drachmas: corallij rubri sesquidrachmam: fit puluis, sacco infuitur, rigatur ex aqua rosata & buglossi. Ita in phlegmone hepatis repellunt: nam accipiunt olei rosati, myrtillorum & cydoniorum, cuiusque semunciam: succi plantaginis, binas drachmas: santalorum rubrorum, rosarum rubrarum puluerisatarum, singulorũ semidrachmã: aceti & ceræ adiiciunt parum: his vngitur regio hepatis tepidè, vsque ad quartũ diem: nam inde paulatim addi debet resoluentia & accidi repercutientia. Quare tandem remiscet oleum absinthij & nardinum: accipiunt olei myrtini & cydoniorum, rosati, absinthij, cuiusque semunciam: olei chamæmelini & nardini, singulorum drachmas duas: succi plantaginis, drachmam: florũ chamæmelorum, & foliorum absinthij siccatorum ac in puluerem cõminutorum, vtriusque scriptulum miscet, & cum pau-

ca cera fiat linimentum. In lienis inflammatione, astringētibus commiscenda sunt quæ citra euidẽtem calorem extenuant, incidunt, & laxant: ne crassus in eo succus repressus, vehementiũs incrassescat. Quare accipiemus oleum rosatum cum oleo chamæmelino, cum capparum cortice & medulla vituli galbanum etiam est vtile cum aceto. Et huic fundamento innixi practici, in vteri phlegmone accipiunt succi plantaginis, polygoni, & peræ pastoritiæ, cuiusq. semilibram: aceti vnciam: boli & sanguinis draconis, vtriusque semunciam: epithema fit intra pectinein & umbilicum & circa renes. Aut accipiunt olei rosati, & myrtini cuiusque sesunciam: aceti semunciam: boli drachmam miscent: his partes dictæ illinuntur: post tertium aut quartum diem adiungetur melilotus, vel crocum. Ista, foris: hæc, intrò; Accipe aquæ albuminis ouorum & lactis muliebris, vtriusque vncias quinque, infundantur vteto. Hac arte, cum influxus artubus incubat, accipimus seminis psyllij vncias quatuor: aquæ, libras quatuor: coquantur, ac succus miscetur cum oleo rosato, & succo plantaginis, aliisque frigidis medelis. Nos liquore stillatio ex semine ranatum vtimur magno successu, vbi æstu doloris materia excandescit; nam & lenem narcosin eius vsus inducit. Sed vis remediorum semper vitio conferenda est. Quædam enim leniter repellunt, vt aqua lactucæ, polygoni, trifolij, auriculæ muris, & lenticula palustris, psyllium, loui liquor, portulaca, semperuiũ, pam-

*In lienis inflammatione.**Cautio.**In vtero.**In artibus.**Σταφυλινα.*

pini & capreoli vitis, rubus, radix mori, mala & pyra austera, oleum rosatum omphacinum. Validè, vt acerba: myrtilli, cupressi nux, capita rosarum, galla, acetum, caphura, sumach, succus prunorū syluestriū, poma mandragoræ, papauer, radix hyoscyami albi aceto macerata: hæc imposita cū fuerint, auferenda sunt priusquam partes liuescant. Astringentibus calidis interdū utimur, in frigidorum succorū illapsu: vt aloë, absynthio, cypero, spica, iunco odorato, croco, vino acerbo cum galla, & cæteris talibus. Sed susque deque his uti nō debemus, quod practici faciunt, sed quædam cautiones obseruandæ. Vbi dolor vehemēs adest à materiæ copia vel acrimonia (qualē historiam refert Galenus sexto Aphorismorum, trigesimo primo Aphorismo) aut ab humore lento, vel si incurrit materia sensilem admodum partem, repulsoriis meris non erit vtendum: sed aliquid ex mitigatoriis & diffusoriis erit aspergendū. Nam quæ vehementem astrictionem sortita sunt, cū tunicas exasperent, maiorem dolorem inferunt; hinc potius influxum augent, quàm quòd eam repellendo minuere possint. Propterea in oculis non validè repercutiētibus utimur, sed lacte muliebri è mamma immulcto, aquā rosatā, cui semen papaueris interdū incoquitur, pompholige, medullis pomorum, croco, albumine oui.

II. CAUTIO. Si quid viscerum infirmius est, metus erit ne ad id symptomatica translatio ac metastasis humoris morbifici fiat, cūm retunditur succus. At vbi illa valida

fuerint, sine metu aliquid ad venas & viscera refluet.

III. CAUTIO: Cūm ex partis alicuius infirmitate primordia causasq. ducit influxus, aliquid tenue calidum misceri debet.

IIII. CAUTIO: Critici & venenati abscessus nō repellēdi sunt, sed illiciendi: vt parotides ponē aures efflorescentes. in his paucum est quod influit, vel multum: aut mali-tiā contaminatum, aut benignum: vel corpus plenū, aut purum. nunquam tamen in his erit repellendum; quanquam Celsus interdum represserit. Sed, inquit Galenus, si vehementi motu irruat parotis, non erit propterea attrahendum: quia intolerabiles dolores, febres, vigi-lias, & lipothymias daret tractio. Venereum insuper apostema re-tundi non debet.

V. CAUTIO: Videndum ne quid nimis; frigidum enim naturæ bellum indixit: & ne cutis spiraculis contractis, humor restagnet: ne hinc dolor, influxio, incendium, ac scirrholes restibile quid sese figat. *παν τὸ πολὺ τῆ φύσει πολέμιον*, omne nimium, scripsit Hippocrates, naturæ inimicum: quare Alphæus Mytilinæus cecinit, *τὸ μὴθὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει*, id est, nil nimis, nimis mihi placet. Quare in consiliū euocentur partium situs, figura, sensus, robur, natura, corporis temperies, humoris copia, qualitas, substantia, viarū per quas influit ductus: nam venarum coniugia notanda sunt. Propterea in apoplexia & paralyti ab his abstinendum est: ne incrementa ducat obstructio. in pleuriti-de, aqua rheados papaueris bi-benda,

benda, ineunte morbo. Et in febre non audent tam validè repercutere à capite, ne ab obstructione, illa magis efferuescat. Et vbi tota materia capite concepta est, inutiliter horum vsus inibitur, quia irremeabilis est. Sed vbi materia influit adhuc, contrahendæ erunt viæ per quas illabitur: vt in oculorum morbis, si materia per arterias & venas influat, arteriis ponè aures tale remedium admouebimus: mastichis drachmas tres: pulueris myrtillorum, corallorum rubrorum, cuiusq. sesquiscryptulû: olei myrtini, drachmas duas: succi plantaginis, drachmas tres: ceræ, quod satis sit, vt fiat ceratum. Vel, vt validius euadat, adde resinam terebinthinæ: hoc aditum humoribus intercludit. Deriuatione interdum tollitur causa morbifica cõtinentis, quæ adhuc loco moueri potest. est autem Deriuatio quæ Græcis *παροχέτευσις*, dicitur, tractio humoris ad locum vicinum, vt pars laborans ab eo expediatur. Debetur illi succo, qui remeandi potentiâ nondum spoliatus est. A reuulsione ita differt, reuellimus enim humorem qui fertur per loca lege naturæ incommoda: Deriuamus eum succû qui fertur per loca ex euentu incommoda. Vt cùm intestina vlcere obsessa sunt, bilem (quamuis ex lege naturæ eò ferri deberet) ad vrinas deriuamus. His artis legibus, pragmatici, in plurimis morbis, hoc remedio vtuntur, dum remeabilis materia adhuc fluida est. Quò autem ableganda sit materia, docet situs ac societas partium. Ita in phrenitide fecant frontis venam, in mania ve-

nam linguæ aperit Auicenna. Hoc modo in sincipitis cõtumacissimis doloribus, ad deriuationem causæ continentis, frontis liberatur vena. masticatoria & errhina è capite prolectant pituitam. hirudines, vesicatoria, ac cauteria ponè aures impressa deriuant à capite. Ex ventriculo & intestinis, vrina, menses, hæmorrhoides. in dolore occipitis, cucurbitulæ humeris & interscapulio infiguntur: nam ibi nulla vena sese secandam exhibet. aut arteria circum tempora secatur, eadem encheirisi qua vena. illa autem erit pertundenda, quæ maximè micat ac pulsu laceffit. hoc fiat cùm à flatulento ardenteque sanguine malum increbuit, nec alia subsidia aliquid opis adferre potuere. Deriuandi studio, in auribus inflàmatione obsessis ac parotidibus, vena sub aure pertúditur. Hoc modo, in gingiuarû & maxillarû calidissimis affectibus, materia concepta excluditur, apertis venis in labiis. in angina, sub lingua venæ duæ secantur. In pectoris diaphragmatisq. inflàmationibus, eadem quæ reuellit vena, deriuat. Axillis humerisque inflàmatis, manus vena illud officium præstat. Hepatis caua, per intestina: gibba, per renes deriuatione sese exonerant. Vtero morbificam materiam poplitis venæ eximunt: vt cruribus inflàmatis, pedû venæ student. Hoc modo hisque rationibus, in omnibus morbis (quorum hyperæxia in materia est) deriuationi student pragmatici, dum nondum remeandi beneficio spoliata materia stringitur. Sed in vsu Deriuationis perpetuò ea cautione

Deriuatio.

Quid differat à reuulsione.

Vsu.

utendum, ne vnquam particula-
rem hanc curationem ineamus, nisi
apertè primùm prouiso totius cor-
poris habita fuerit: nam ab amotio-
ne & reuulsione causæ anteceden-
tis, huic tantùm locus est: imò initio
est repercutiendum: in fine deri-
uandum, cum nil amplius influit;
attamen succo adhuc mirabili. Ter-
tiū remedij genus, quo causa conti-
nens loco quæ moueri potest amo-
uetur, est Particularis Purgatio. Ve-
rùm quæ purganda sunt, primùm
præparari ad exclusionem debent;
ac cruda, per palmo mitiganda. Hoc
autem fiet, Alteratione. Est autem

*Alt. ra-
tio.*

ALTERATIO particularis succo-
rum, qui in aliqua peculiari parte
qualitate in vitio sunt, emendatio.
Hæc vitia copiâ & qualitate eadem
ferè sunt, vt illa quæ in censu causæ
antecedentis enumerauimus: quare
& eisdem mutandi modis reuoca-
buntur ad pristinâ moderationem.
Propterea feruidos succos refrige-
rabimus: tenues incrassabimus: ra-
ros densabimus: nimis separabiles
illinemus. Sed hoc discrimen est
inter alterationem causæ anteceden-
tis, & huius continentis, quod hic
vtemur maximè illis remedijs, quæ
peculiari dote vnâ parti student, in
qua materia morbifica cõcepta hæ-
ret, & cum materia pugnant. Qua-
propter maiori remediorum varietate
opus est, ad debellandam cau-
sam continentem, quam in causæ
antecedentis auulsione: vel saltem
pro vehiculo his vtemur, quæ ab-
ditâ ac nobis incomperatâ vi (vsu
tantùm notatâ) traiciunt aliorum
vim ad peculiarem aliquâ partem.
*Differen-
tia.*

Qua ratione, est oxymelch pituitatâ

coquat, incidat, tenuet, ac edueat,
cum tamen ex æquo in omnibus
corporis partibus hoc efficiat, cum
betonica tamen & pœonia deco-
cto, valentiùs id in capite præsta-
bit: cum capparibus ac tamarice, in
liene: cum eupatorio, in hepate.
Medicamentorum itaque alia sunt
quæ omnibus partibus operâ suam
tradunt: alia verò, quæ, tametsi alijs
etiâ profint, vni tamè magis quàm
alteri studere dicuntur. Hinc est
quòd apud pragmaticos multa me-
dicamina à partibus (quibus dica-
ta esse videntur) nomina inuene-
rint: ita quædam nominant cepha-
lica, alia pneumonica vel thoracica
aut pleuritica, sic cardiaca, stoma-
chica, hepatica, splenica, nephritica,
cystica, hysterica, arthritica. Cepha-
lica, alia sunt simplicia, alia compo-
sita: eaq. vel calida vel frigida. Ce-
phalica simplicia calida, vt lauen-
dula, pœonia mas, nam de ea pro-
didit Galenus sexto Simplicium, ex
collo suspensâ comitialè morbum
sanari, quod notauit in puello, qui
ab incurso epilepsia liber erat, dum
radix hæc ei ex collo penderet: qua
fraudatus puer concidebat. Nam
occulta quædam effluuia ex radice
manantia, ac à cerebro hausta, vim
illâ aspirabant: quare tota suâ sub-
stantiâ, cerebro utilis esse dicitur
pœonia. Verùm doctissimus qui-
dam vir existimat, fraxinellam
(quam pseudodictamnium nomi-
nant) veram pœoniam antiquo-
rum esse. Ita & betonica, saluia,
maiorana, stœchas, laurus, rosmari-
nus, viscum quernum, galanga, ca-
storium operam suam cerebro di-
carunt. Cephalica frigida simplicia:
vt nym-

Cephalica.

vt nymphaea, viola, rosa, santala, lactuca. Cephalica composita calida: aurea Alexandrina, diamoscū dulce, pleres archon, aqua lilij cōuallij ita extillata, vt docuit Matthiolus. Cephalica frigida composita: vt conserua rosarū cum speciebus santalorum, manus Christi cum margaritis. Quæ causis plethoricis caput implent, non temerè in capitis doloribus aut eius grauitate sunt præscribenda: vt myrrha, amygdala, & crocum, quod viam affectat vehementer ad cerebrum, vnde & antiqui poëtæ fabulabantur, Ioue in Ida monte dormiente, crocum enatū fuisse sub eius capite. Thoracica medicamina sunt, simplicia, vel composita. Simplicia calida, vt radices helenij, scabiosa, fœniculū, passulæ, ficus, prassium, hyssopum, thymus, botrys, liquiritia. Frigida thoracica simplicia, hordeum, quo diu ante Hippocratis tempora vsa fuit antiquitas, testis ipse Hippocrates. viola. Composita thoracica calida, vt diatris, linctus de pineis, loch sanum, & de pulmone vulpis. sed his in pleuritide nō vtendum, nam viā expectorato intercludunt ac pulmones comprimūt, hinc frequentior spiritus squalidā siccitate ibi cuncta fœdat, ac sitim excitat. Thoracica composita frigida, vt syrupus violatus, insigne remedium in tenui materia pectore concepta, ac in vera pleuritide: nam alas pulmonum expandit, ac ardorem temperat: & diatragacanthū frigidum. Cardiacæ. Cardiacæ simplicia calida, crocus, melissa, hæc, inquit Auicenna, vapores crassos absterget à spiritibus cordis. Frigida simplicia cardiacæ,

vt buglossum, rosæ, santala, margaritæ; Aurum, quod ad temperiem nutat: etenim illud natum esse scribunt ex elementis pari robore ac mole concurrentibus, ac insolubili ferè vinculo nexis, quæ incorruptibilem quandā temperiem illi impressere: Vnde dicebat Auicenna, aurum in omnibus suis partibus æquale est, bibitur ad cordis affectus & animi mœrores: ita & Befaat lapis. Composita cardiacæ calida, vt theriaca, electarium lætificans Rasis, diambra. Frigida cardiacæ composita, vt diarrhodū sine speciebus, syrupus de acredine citriorum, manus Christi perlata. Stomachicæ calidæ simplicia, vt absinthium, mentha, cinnamomum. Frigida simplicia stomachicæ, vt rosa. Composita stomachicæ calidæ, vt electarium ducis, diatrion piperium, diacydonium cum speciebus. Frigida stomachicæ composita, vt conserua rosata, diatrion santalum, diarrhodon abbatis. Hepaticæ calidæ simplicia, vt absinthium, eupatorium. Frigida, vt cichoracea omnia. Composita hepaticæ calidæ, diacyminum. Frigida, vt diarrhodū abbatis sine speciebus, diatrion santalon. SPLENICA simplicia calidæ, chamædryes, capparis, daucus, scordium, calamintha, asarum. Frigida, cortex salicis, asplenū. Composita calidæ, vt diacalaminthum, & diacyminum. Frigida, diasantalon. NEPHRITICA & CYSTICA calidæ, vt radices apij, dauci, fœniculi, ianiperi grana. Frigida, peponum semina, & reliqua. Composita calidæ, vt electarium Iustini, lithontripon, oxymel scylliticum. Frigida,

Causis.

Pleuriti-

Causis.

Cardiacæ.

Stomachicæ.

Hepaticæ.

Splenicæ.

Renalia
& urinaria.

Uterina.

Frigida, vt ceratum santalinum.

Hysterica calida, vt pulegiū, arthemisia, sabina, calamintha, pæonia, myrrha, crocus, borax. Frigida, vt nymphæa, capillares herbæ, pimpinella. Composita calida, vt syrupus de arthemisia compositus, aromaticum moscatum. Composita frigida, vt ceratum santalinum.

Arthritica.

Arthritica calida simplicia, vt scylla, iua. Frigida, vt caules, psyllium, sperma ranarum. Composita calida, vt emplastrum & oleum de hermodactylis, balsami olea & galbaneta, aqua vitæ in qua flores rotifmarini macerati fuerit. Frigida, vt oleum rosatum, vnguentum ex alabastro. Non solum hæc pro medicamento sunt, sed & cibo & potui indi debet tales facultates, quæ vnâ & naturæ studere possunt & cum causa continente pugnare. Quare sint hæc talia, quæ peculiari vi in partem illam sese traiciant. De his abundè egimus libro secundo. His rationibus innixi pragmatici, in capitis morbis pituitosis, vtuntur tenuantibus, tergentibus, remixtis cum his quæ peculiari facultate cerebro fauent; accipiunt fescunciam mellis rosati, cum duplo aquæ aut decocti saluæ & betonicæ: surguntque paulatim ad validiora, vt ad oxymel, & syrupum de stæchade. Sin à *BILE* vitium fuerit, incrasantia frigida peculiaribus addunt; vtuntur decocto portulacæ & lactucæ cum floribus nymphææ: libra, addūt syrupi nymphææ uncias tres. Ita in cordis palpitatione à calore, syrupo violato vtuntur, aut syrupo ex succo oxalidis vel citriorum, cum duplo aquæ lactucæ aut

portulacæ. Quodsi à frigido succo cor palpitet, vt à pituita, incidunt melle rosato & oxymelite composito, cum decocto melissæ, cardiacæ herbæ, corticū & seminum citriorum. *CAVTIO* adsit, in præparatione materiæ morbificæ quæ cor fatigat, ne sint herbæ immoderate calidæ aut frigidæ: ne vitæ fons ad contrariam intemperiem trahatur. Quare cum frigidorū initur vsus, aspergantur quædam calida, aroma redolentia: ne frigida sibi viam intercludant. nisi tamē immanis adsit febris, vt causus: nā tunc aliquid trochiscorū de camphora remisceamus. Hac arte vtuntur ex eadem pharetra, in frigida materia pectore concepta: nam fruuntur syrupo de liquiritia, melle rosato, & syrupo hyssopi, (nam terget) & syrupo de prassio cum duplo decocti scabiosa, vel hyssopi, prassij, fœniculi, & reliquis: eclegmate sano & de pulmone vulpis, & diaride Nicolai. Si tenuis materia tussim diffiliendo eladat, lentis vtimur, vt diacodio Aëtij, eclegmate papaueris, diatragacantho frigido, syrupo violato. foris illinendo oleū amygdalinum dulce cū adipibus & croco. *CAVTIO* in his sit, ne initio nimio calidorū vsu tenui resoluta, crassum ibi restagnet expectorationi ineptum. Ita in omnibus ferè morbis vbi causa continens, præparat eam potibus, fotibus, emplastris, linimentis, cæterisque remediis. Deposito itaque qualitatis vitio, purgatione erit eximenda hæc cōtinens causa. Est autem particularis *PVRGATIO*, euacuatio eius materiæ quæ virtuti peculiaris membri vim infert,

*Cautio.**Cautio.**Purgatio particularis.*

fert, vt parti suum robur restitua-
tur. Perficitur eisdem legibus, qui-
bus causa cedit antecedens. Quare
notabimus quis succus ille sit qui
opprimat partē: qualis sit eius sub-
stantia, qualitas, copia, quo tempo-
re & per quas vias educi debeat.
Sed hoc interest, quòd hīc purgan-
tibus quædam adiicimus, quæ ab-
ditā quadam vi, hæc remedia pur-
gantia partibus laborantibus im-
portant. Etenim hæc æquè chola-
gogum eò ferēt ac melanogogum.
ita in arthritide, purgantia cum iua-
mifcent. Vt commodè hæc purga-
tio peragatur, copiam præscribendi
remedij captare debemus: huius, vt
diximus, quantitas, ex copia humo-
ris purgandi & eius situ intelligitur.
Tempus peculiari purgationi erit,
cùm totum corpus purgatum est:
quia alioqui restibili quadam fœ-
cunditate succrescet noua morbi
coniuncta materies. Viæ per quas
effluere debet ac educi hæc morbi-
fica materia, intelligendæ erunt ex
locis & viis in affectam sedem re-
cta pergentibus. Ex hoc ductu via-
rum pragmatiei varias remedio-
rum ideas inuenere: vt errhina in
peculiari euacuatione capitis: &
strepta (turundas vocant) & apo-
phlegmatismos mansu, & gargari-
satu: & illinitiones palati. Errhina,
sunt lenissima remedia quæ ex su-
perficie cerebri tantùm prolestant,
non autem ex ventriculis cerebri.
Apopphlegmatismi ex vetriculis ce-
rebri eliciunt. Sternutatio ex tota
cerebri substantia excludit. Primò
blandioribus vtendum in quolibet
genere. Cautio sit, cùm metus est ne
ab acerrima materia pulmones læ-

dantur, abstinendum à masticato-
riis. sed si crassa bilis adsit, scam-
monio vti licet: vel si pituita, tur-
peto locus erit in apophlegmatif-
mis. Nā cùm à tenui materia nul-
lum periculum creatur pulmoni-
bus, præstat apophlegmatifmis vti
quàm errhinis: quia dū sanum est
cerebrū, expurgatur per os, & non
per nares: quòd via pateat ibi facili
fluxui. Ita fiat masticatorium: Ac-
cipe caricarum, mastichis, cuiusque
drachmas duas: ceræ, semunciā; ad-
de aliquid piperis & sinapi. Aliud
staphysagriæ, pyrethri, zinziberis,
cuiusque scriptuli duo: mastichis
drachma: ceræ semuncia: fiant pa-
stilli parui. Gargarismus: Accipe
origani, serpilli, vtriusque semima-
nipulum: ficuū vncias duas: coque
ex aqua ad semilibram: cui adde
oxymelitis vncias duas. si velit vsus
validius remedium, addemus sina-
pi. Illinitur palatum ex sinapi trito
cum aceto. Errhinum: succus ma-
ioranæ, radices iridis & betæ. Ho-
rum rationes libro primo descripfi-
mus. Ita pragmatici ex viarum &
ductuum characteribus, in particu-
lari purgatione varia remedia in
vsu protulerunt. Hoc modo in
pulmonibus cùm materia retenta
fuerit, eclegmatis vtuntur: vt tussi
expectorari illa materia possit, alis
pulmonū explicatis, ac arteriis di-
latatis. & in pleuritide aqua saccha-
rata dupla vtuntur cū syrupo vio-
lato. Viæ ac ductus monstrarunt,
quòd gibbis hepatis partibus in-
flāmatione obsessis, vrinæ promo-
tione accidi potest causa conuulens:
ita & in nephritide. Eadē ratio do-
cuit pessis vterū vacuari, cùm eius

Mastica-
torium.Garga-
rismus.

vsus.

Eclegma-
ta.

Pessis.

Que no-
tanda in
particula-
ri purga-
tione.Quantita-
tis.

Tempus.

Via per
quas.

Errhina.

Sternu-
tatio.

Pessis.

vasa conuenient: propterea mercurialis tusa ac linteo inuoluta pessi formâ noctu immittitur, foris pendente filo. idem facit melanthij farina cum mithridatij drachma, ac mastichis scriptulo. Cùm hæc deuiecta languescunt, pello includitur opopanax, galbanum, sagapenum, ammoniacum, euphorbiû, vel cyclaminis radix. quæ etiam super ipsam transeunti mulieri vterum aperire creditur. Eadem hæc ratio vomitum docuit, cùm supra diaphragma morbi causa constiterit, vt si materia acrior in ventriculo fuerit; aqua exhibetur cum oleo: aut si viscida materia ibi hæserit, vinû datur, in quo cortex medius iuglandis arboris maceratus fuit: aut oxymelite Gesneri fruimur. Clysmata etiam non alium auctorem sui agnoscunt quàm ductus viarum: vt continens morborum causa ex intestinis excluderetur. Ita in


Vomitum.

Clysteres.

dysenteria finguntur enemata ex lacte & aquâ hordei: in colico dolore, ex oleo rutæ cum hiera: in calculo ex emollientibus herbis, vt ex decocto maluæ & parietariæ, cum benedicta laxatiua. Quodsi causa continens adhuc fluxa & remeabilis ea in parte constiterit, ad quam nulli ductus facile perferre remedium possunt, tunc hirudinibus ac cucurbitulis & scarificatione exugemus causam morbificam continentem. Hirudines priusquam admouentur corpori, in aqua limpida per aliquot dies cõtinentur, & sanguine modico aluntur: tandem ex aqua tepida, spongiâ abstergentur, partibus vnguibus exasperatis admouentur, ac his cauda scinditur: Pars ne frigescat, tepido oleo foueatur: vt cadant, salem vel cinerem ori earum adiiciunt: tandem fomentis eluunt impressum ab illis venenum.

Ubi via obscura sunt.

Cucurbitula, ligatura, hirudines, sesones, unde in usum ducit.



CAPVT XI.

PRIMA PRIMÆ INDICATIONIS PARS, QUÆ de causa morbifica continente, qua non est remeabilis.

HACTENVS egimus de remediis quibus causa cõtunens lo-

co remeabilis à loco affecto fugari possit: nempe Repulsione, Deriuatione & Vacuatione. Si autem hæc morbifica causa continens, fuerit omni remeandi beneficio orbata, adeò vt nec Repulsione, Deriuatione, nec Vacuatione eximi posset, id fiet quod induruit. Quod autem induruit,

Duritas causa.

induruit, id triplici de causa tale fit, siccitate, plenitudine, & congelatione. Quod ariditate à valida, vel blandiore siccitate induruit, placatur Emollitione. Est autem EMOLLITIO, duri, ex ariditate, alteratio, ab vuido calore facta. Vuida enim ac moderata caliditas esse debet, ne humor in auras vi caloris exspiret, cum quid non validissime exaruit. Talia plurima mollietia finguntur ex herbis, fructibus, radicibus, seminibus, medullis; quæ non superant secundum feruoris ordinem: Vt farina lini, fœnigræci; viola, parietaria, malua, butyrum, ficus, radices althææ, medulla cerui & vituli, adeps gallinæ, mica panis lacte macerata cum vitello oui, oleo & paucocroco. Si ex valida siccitate nata fuerit durities, hæc tenui humido mollitur cum partibus igneis vel terreis adustis: vt calculus limonũ succo, oxymelite scyllitico, succo chelidonis, & ex raphani radicibus tusis, & cum succo limonum maceratis, extillatur liquor. Si durities fuerit ex plenitudine, vt in phlegmone, laxatis spiraculis aëreo ab humido educetur materia; vt ex foetu qui fit decocto florũ meliloti & maluarum. Quod si quid induruit congelatione, id soluitur ac mollescit à calido sicco moderato; vt illis quæ secundo numero calent: nam quæ primo ordine tepent, solvere nequeunt: quæ verò feruent tribus numeris, exhausto tenui relinquunt crassum: vt in lienis scirrho vtimur ammoniaco, & emplastro diachylo, & emplastro de meliloto, & de mucilagibus, æsypo, medullis cum pauca aqua vitæ. Hæc eleganter

ter Holerius prosequitur libro Chirurgiæ primo, capite quarto: & Fernelius libro Methodi sexto, capite sexto. MATVRATIO quæ *πέραισις* dicitur, est alteratio, quâ materia ornatus formam induit quantam maximè potest; vt utilis corpori ab inutili separetur, facta à calido natiuo. Quare horum vsu obstrui debent spiracula cutis, quò fortior eâ collectione natium calidum euadat. Quare decocto vtuntur caricarum, & farinis, & radicibus althææ, seuo, emplastro de mucilagibus: vt in stomachi & hepatis inflammationibus, cum discuti nō potest concepta materia. Hoc modo pragmatici in phrenitide vbi factum est erysipelas, capiti admouent omentum vituli, in sartagine cum oleo chamæmelino vel lilino calfactum: & balnea ex intestinis veruecis instituunt, cum malua & violaria. Digestio eadē ferè est cum maturatione: hac vtimur cum tam exigua est morbifica materia vt euaporare possit: nam materiæ reliquias euacuat, vt chamæmelorum decoctum, & theriaca in frigore viscerum: & oleo vtimur chamæmelino cum castorio in apoplexia & paralyti. Interdum materiæ cōtumacia his remediis non cedit, adeò parti impressa hæret: propterea & alia medendi remedia necessitas expræsit ac ars inuenit, vt dropax, sinapismus, phœnigmus, cauterium. Horum commune genus est attractio, quæ fit à calido sicco, valido, tenui ac terrestri: vt ea ratione loco mota materia, prodeat foras. cum enim materia pertinaciter infixæ est, peruicaciter attrahi debet: quare &

Emolli-
tio.

Ex siccitate.

Ex plenitudine.

Ex congelatione.

Matura-
tio.

vsus.

Digestio.

Dropax.

terrestre ac solidum remedium esse debet: id enim non facile suam naturam exuit. Dropax (picationem quidam vocant) sinapismo est mitior: & duplex est, simplex, & compositus. Simplex, dicitur Picatio, Græcis *πίκωσις*, nam pix liquatur cum oleo, cuti ex aluta iniicitur, sæpe detrahitur, ac iterum reuocatur dum pars incalescat rubore: estque præparatio ad sinapismum; & post sinapismum adhibetur. Compositus, piper, pyrethrum vel sulphur aut tale quid admixtum habet: ut accipe picis aridæ, uncias tres: sulphuris viui fescunciam: olei rosati quod sufficit, ut extendatur in pelle ouilla. Si validiorem vim iniicere velis, adde piper, zynziber, pyrethrum, nasturtij semē: eius finis est rubedo. Sinapismus dropace validior est, fit ex sinapi subtiliter pulverisato, quod decocto ficuum excipitur: sin mitius petamus, aceto. Sinapismi finis erit cum vesiculæ exturgescunt in cute. Phœnigmus fit ex sapone cū sale, vel ex flāmula Iouis: ut accipe fermenti drachmas duas: cantharidū drachmam: feminis sinapi scriptulos duos, misce: parti frictione calenti, & rubenti imponitur. Ultimò venimus ad

Sinapismus.

Phœnigmus.

Cauterium. **CAUTERIVM**, quod est combustio imperfecta, ab igne rectè adhibito, ut membrum roboretur, & causa continens excludatur morbi. Igni hoc remedium suam vim exercet; nam is, vel energiâ vel potentiâ admouetur. Quibusdam tutior videtur qui actu imprimitur: quia igni est forma simplicissima, nihil contagij (excepto calore ac empyreumate) relinquens: agens,

propter summâ quam habet agendi vim. At ignis potentiâ, ut arsenicum, calx, tota substantia est inimicus calido natiuo; hinc sæpè gangrenæ partibus inuruntur. Ut autem rectè admoucantur tam periculosa remedia, primò explorabimus num sit eò veniendum; nam aliquid naturæ abscindunt: cum enim nullatecniat si imprimuntur, calamitosa esse possunt: qualia euenerunt Eupolemo apud Hippocratē quinto Epidemion in initio. Qui cum coxam suppuratam haberet, illi cauteria plurima & magna iniusta sunt: & post paucos dies obiit. Huic, inquit Hippocrates, si vna ampla sectio data fuisset aut altera, & tempestiue, seruari potuisset. Quare cum vitium nec Emollitione, nec Maturatione, nec loci Incisione, nec Digestione, nec rubificationibus eximi poterit, ad comburentia curationem vertemus. Secundò, tempus captabimus quo decenter adhibebitur; illud erit cum pars in periculo versatur ne à mole materiæ putrescat: & maximè os: & cum nec dropax nec sinapismus quicquam opis attulere. Tertiò, modus comburendi ut rectè indagetur: ille ex morbi modo patefcet: nam si summa cutis inquinata fuerit, spherico utemur instrumento: si altius, plano: si profundius resedit malum, gladij sit forma. **CAVTIO** sit de scrophulis, nam iugulares arteriæ ita vruntur, vnde mors: cauendum à nervis & arteriis ne temere vrantur. Hæc latè libro primo tradidimus, ac innoxium & valentissimū cauterium ibi descripsimus: magno labore à nobis quod fuit emptum, ac Reipublicæ

Observatio in Cauterium vsum

Cauterium

publicæ dicatum. & de his videte Galenum quinto Methodi, capite quarto in fine. Ingentem remediorum syluam, qua omne causæ cōtinentis vitiū abigitur, prodidit Holerius libro primo & secundo Chirurgiæ; & Fernelius toto libro sexto Methodi, & Pareius libro vigesimo quinto, capite nono, & sequentibus. nam nos tantum hinc tradimus quo loco, tempore, & occasione, in tota arte adhiberi remedia debeant.

OBSERVATIO.

Horum vsus sit, cum nil amplius in fluxum effundi potest; à Reuulsione & Deriuatione; & iā inclinante morbo, adhuc viribus firmis.

CAPVT XII.

SECUNDA PRIMÆ INDICATIONIS PARS:
quæ, De curatione morborum.

HACTENVS de omnis causæ morbificæ curatione egimus: iam de curationis ductu omnium morborum. MORBI secundo in loco sunt eorum quæ contra naturæ legem corpus fatigant: qui vt ortu, ita & curatione à causis suis secundum locum fortiri debet. Causis itaque amotis, quæ morbos partibus inusserunt, cum Morbus perseverat, curandus ille veniet. Vt autem causæ morbificæ suum habitaculū in contentis habent, ita morbi partes corporis occupat. Quare exploratū à nobis id esse debet, quotnam rationibus partes corporis vitia imbibere possint. Cum itaque partes corporis duplici censu contineantur, sunt enim vel simplices & similes partes, vel organice &

certis officiis dicatæ: quare & variis modis vitia cōtrahent. Similatum enim recta constitutio, est concinna ex quatuor primis qualitatibus fabricata moderatio. At organice integritas, est recta formatio. Propterea & duo morborum erunt capita: organice enim Morbus erit, vel similis: quod vel eucrasiam vel instrumenti rationem labefactet. Sed cum similaribus & instrumentariis partibus commune sit vt iunctæ ac combinatæ sint, surget aliud genus morbi vtrisque partibus commune, cum hæc sociatio soluitur, diceturq. vnionis solutio. Hi cum interdū iungantur simul, quartū genus morbi nascetur, vnde compositi quidam morbi dicentur. Hinc quatuor remediorum genera enata fuere, alteratio, apertio, vnio, & quod vim habet hæc cuncta simul debellandi. Alteratio partium corporis eisdem remediis perficitur, quibus succos ad pristinā moderationem reuocari diximus. Sed perpetuò præ oculis sit natura alterandæ partis, in substantia, temperie, habitu, sensu, officio, structura, societate, & situ: nam alia vi membrana, aliā caro alteranda. Intemperies simplex calidā recens ac leuis, pari tempore ac frigida debellatur. sed tutior est calidorum vsus; erigit enim calidum natium. Antiquata frigida intemperies ægrius euellitur. Siicca contumacior est humidā. Si morbus instrumentalis fuerit, ille erit vel ex mala cōformatione partium: aut in numero partium aucto, vel acciso: vel in magnitudine nimia, aut pressa vel in situ, seu mala connexionione partium. Si mala con-

Alteratio.

formatio vitium fecerit, id erit in figura partium, vel earum asperitate & lætitate, aut soliditate, vel in cavitatibus & meatibus. Si igitur meatus obstructi fuerint, cum obstructio morbus sit, orietur indicatio aperiendi. Quare perlustrandum est quidnam sit apertio. *Apertio.* APERTIO, est expansio obstructorum meatuum à valido calore facta, qui in substantia crassa resedit. Quæ enim tenuiter calfaciunt, ea rarefaciunt; sed aperiencia modicam crassitiem sortiri debent, ne sibi aditum intercludant: ut amara cuncta, cichoriū, ciceres, absynthium, eupatorium. Ita practici hanc ideam in omnibus obstructionibus aspiciunt, ut cum hepatis vel uteri venæ conuenient, præscribunt vinum absynthij & arthemisiæ. Sic in soluta *Unio.* Vnitate, Vnionem utimur. Vnio est iunctio eorū quæ diuisa sunt. Quæ vnientur, ea vna esse similitudine debent: propterea Chirurghi cauent ne vel pilus, vel quid aliud inter iungenda labra vulnere se interponat, ne arceatur vnio. Quæ ut commodè fiat, in primis causa diuulsionis si adhuc adsuerit, euellenda erit, sanguis sistendus, ac in vnionem iungendæ partes. Ut si rupta in netuo fuerit acus, illa ni primò eximatur, funestam inflammationem mouebit: ita rupta à sanguinis copia si fuerit in thorace vena, sanguis primò educatur, dein fluor sistatur, tandè venâ rupta iungatur. Quæ dissociatâ pars indulgere debet; argumento sunt vulnera pulmonum, quæ ægerimè vnionem admittunt ob perennem pulmonum motum; accedit & illud, quod vulneris for-

dities extusiri debet, quo quassu lacera-
cerum vulnus redditur. *Cautio.* Ea cautio
adsit in sociandis diuulsis, ut vis &
robur diuulsarum partium stabiliatur: quod fiet rebus moderatè
siccantibus: ut in externis, oleum id
præstat extusum ex seminibus hyperici, in quo eiusdem flores sub
Canicula ardente macerati fuere. Præterea abreptæ inuicem partes,
molli pressu blandaq. manu reuocari debent, ac studendum ut iunctæ perennent; quod plagulis, splenis, ac vinculis fiet, & vi siccantium
remediorum, expedito vlcere, ac vi
abstergentium medicaminū à sordibus liberato vulnere, (quæ in
carnis generatione semper luxuriant,) facile conuenient diuisa. Morborum autem ideæ diuersæ,
diuersis remedijs egent: ut si inflammatio molesta sit cum obstructione, vel obstructio cum vnionem
tatis solutione, & quæ inflammationem arcent, & quæ vnâ aperiunt, ex usu erunt.

OBSERVATIO.

CVM obscurior morbi ideæ nondum plenè comperta fuerit, huic ne præcipites remedia adferre, sed negotio naturæ tradito, quæ, optimâ diætâ recreata, aut morbum debellabit, aut quis ille sit aperiet: Vel fiat leuis cum morbo velitatio, ne in re dubia fiat iactura grauis. Et illud perpetuò adsit studium, ut primò accuratè peruestigetur morbi essentia, eiusque forma: secundò, an factus, vel fiens: tertio, morbi explorandus mos, motus, & tempus.

CAPVT XIII.

TERTIA PRIMÆ INDICATIONIS PARS, QUÆ
de Symptomatum curatione.

OMNIS omnium affectuum præter naturam curatio à prima Indicatione curatiua proficisci debet. Prima autem Indicatio sumitur ab affectu qui contra naturæ legem corpus humanum premit. Affectus hi sunt triplices, causa morbifica, morbus ipse, symptoma. Quo modo causa omnibus à morbis eximenda sit, & qua arte morbus propellendus, hæcenus tradidimus. Tertia autem pars primæ Indicationis erat symptoma: cui tamen vt symptomati nulla debetur curatio: nam symptomata (quæ immediatè referuntur in morbum) sequuntur morbum, vt vmbra corpus, quo ablato, vnà cedit symptoma. Sed nonnunquam tam viuida vi premunt, vt nec locus sit nec tempus ad causæ morbificæ aut morbi amotionem; verùm naturæ robur exhauriunt: nam morbum faciunt, vel augent. Inter hæc symptomata crebrò ac validissimè vrget **DOLOR**, qui plerumq. suas tanquam soboles secum rapit vigilias ac inedia. Nihil autè est in toto mundi theatro, quibus æquè ac his vires fatiscunt. Quare primò de dolore agemus: eius naturam & quæ sint eius causæ explicabimus: cum enim aliquid curandum est, eius essentia perspecta primò esse debet. Illud profectò stupendum, tanto stupori in hac mortalitate ingenium nostrum inuolui, vt toties dolorem sentientes, adhuc ignoremus num

ipse sentiat, an potius sensus ipsius pars sit. Vt itaque natura doloris rectè percipiatur, id conuenienter fieri nequit, ni primùm contrarium eius, nempe voluptatem quidnam illa sit, nouerimus. Voluptas, vt inquit Aristoteles decimi Ethicorum quarto, nõ est operatio: producitur tamè ab operatione iucunda & blanda: hoc est, cum analogia est inter id quod sentitur (id est obiectum) & facultatem sentientem: nam est blandæ operationis perceptio. Contra, Dolor fit à tristi perceptione, ab operatione in qua non est proportio obiecti & facultatis. Non tamen est operatio: producitur tamen ab operatione illa perceptio. Quare operatio quæ voluptatem facit, citra violentiam agit: sed quæ dolorem inuehit, violenter. Et dicebat Aristoteles, sine operatione non perficitur voluptas, nec separari illa possunt. ita nec Dolor, sine operatione: adeò tristi perceptioni connexus, vt separari non possint. Propterea ita Dolorem definimus; Dolor est naturæ tristis perceptio. Fit autem hæc perceptio, cum facta est impressio in sensum delatæ speciei naturæ aduersæ. ea perceptio est dolor. Dolor enim sensu non percipitur, sed causa dolorifica: hoc est, ab operatione producitur illa perceptio. Vt cum lingua suauis sapore perfunditur, benignè mulcetur inde lingua: eius autem ex operatione percipitur voluptas. Ita tristis perceptio violentæ operationis, efficit dolorem: qua ablata, cedit & dolor. Itaque dolor sensu non percipitur: nam dolor est perceptio: illa autem non sentitur in dolore: sed

rei

Ordinis
ratio.Talis
Sympto-
ma.
Dolor.Dolor
quid.

rei species incommoda. Quæ species est efficiens causa perceptionis. Sensatio enim animi, cõstat ex suscepta sensilis rei imagine, & susceptæ imaginis agnitione. hoc est, oportet (vt dolor sentiatur) qualitatem rei dolorificæ impressam sensoriis instrumentis, communicari sensui cõmuni, qui iudicat passiones factas in sensoriis. Hinc Galenus dicebat, Dolorem nõ esse operationem ipsam, non esse mutationem, sed Dolorem esse dignotionem alterationis & mutationis; & esse symptoma in actione deprauata tactus, quia sentit prauè quod non deberet. Dolor in omni sensu reperitur: sed nos hîc de dolore qui in tactu consistit: dolent enim maximè neruosa partes. Sed quænam est causa Doloris? Vnica eius proxima est causa, solutio continui: etenim vnius rei non possunt esse plures causæ proximæ. Ita cum soluitur continuum, adest ilico dolor: & cum ocium est ab ea solutione, ilico euanescit Dolor. Nam causa dolorum non est, * ἐν τῷ γερῆναι, sed in γίνεσθαι: nam dolor non premit dum soluta est vnitas, sed dum soluitur. Hinc Hippocrates, ἐπὶ τὰς ἀλλοτρίων τῆ φύσεως, ἢ πόνου συμβαίνουσι: immutatione habitus, & temperamenti. Igitur p̄det Dolor à solutione continui, & non à soluto continuo. Fit itaq. Dolor ab obiecto sensui non analogo, quod cõfertim agit & violenter, vt inde cõtinui diuulsio fiat. Propterea Galenus dicebat, dum fit raptus confertim ad natium statum vel ad non naturalem, id perpetuò fit cum dolore: vt qui affatim perfrixit, focum accedens do-

lore percellitur. Dolore itaq. causa est solutio continui. Sed quænam est iuncta (immediatam vocant) causa Solutionis cõtinui? Hæc non alia erit quàm causa præter naturam: verum non quælibet, sed quæ ἀθρόως incumbit. Verum dicet quis, Galenus ex Platonis sententia (cui ipse annuit) dicebat, cum migrat res ad natium statum, voluptate perfunditur. Respondemus, Plato altiùs sese erigens, de mentis motu agit, quæ in Dei contemplationem rapta, mira voluptate perfunditur: quòd à corporis quasi sordibus soluta, ad propriam tunc naturam redeat. attamen idem de corpore dici poterit, quod, cum ad statum non naturalè trahitur, dolet. Nam causa Doloris est causa præter naturam confertim agens: quare violenta, soluit continuum; id dum fit, dolor oritur. Attamen si hæc mutatio inclinet in statum naturalem, id bifariam fieri poterit: vel à cognata & nobis familiari causa; hæc non potest violenter agere, etiamsi confertim inuehatur; quare blandè mulcentem voluptatem infert. de hac agit Galenus primi De symptomatum causis sexto: vt dulcedo in sapore, & in viris expulsio seminis, in mulieribus attractio. At dum fit reditus in pristinum statum à causa quæ nobis cognata non est, hîc fit cum dolore, quia cum violentia fit, & inducit inæqualè intemperiem, vnde flatus & tensio: cum agit confertim: de hac agit Galenus duodecimo Methodi; vt frigus dū subito pellitur ab ignis calore, re non familiari. Quare doloris causam iunctam, dicimus solutionem esse vnitas,

7. De
plac. Hip.
& Plat.

Doloris
causa vna

* Hec est:
non in fa-
ctum esse:
sed in so-
luti.

12. Me-
thodis 7.

Dubium.

1. Sympt.
caus.

tatis,

tatis, cum confertim imprimatur corporis; si enim lentè irreperet, dolorem non daret. At quæ causa est agens confertim? est intemperies inæqualis, vel pura, vel iuncta materia: quæ intemperies est, ἐν γίρειος; & propterea existimamus, quòd solutio unitatis à qua fit Dolor, non sit morbus: quia nō est soluta unitas: & eius auctor intemperies, est ἐν γίρειος. Fit dolor vehemens à calore & frigore; nam dissipando, & comprimendo violenter continua abripiunt, ob agendi præcellentiam. mitior dolor est à siccitate: etenim humidum, auctor nec dissipationis nec expressionis est, vnde (cum continuum non soluat) nec dolorem infert. Materia continuū rumpit cum vitium fecit in substantia, copia, aut qualitate. Substantiæ ratione peccat, cum forma eius, vel corpus contaminatum fuerit. Forma, cum materia veneno afflatur, vt in lue venerea, & dum implicitus iacet æger pestiferæ febri. Corporis ratione, cum flatu turgēt & tendit, & cum crassior vel tenuior, & acrior mordet. Auctor itaque doloris, est solutio unitatis, quæ oritur à causa præter naturam confertim agente, siue ea sit interna vel foris irruens. Hanc sententiam Galeno ascribimus vnà cū Avicenna & Auerrhoide. Quin Hippocrates tertio libro De articulis, Aphorismo trigesimoquarto dicebat, omnem morbum vlcus esse. Videtur tamen Galenus interdum dicere, dolorem nonnunquam fieri ex intemperie. Quare vt omne sophisma cedat, affirmamus solutionem continuū duplicē esse, vna est

euidēs, altera rationi tantum comperta. Euidens, vt ab incisione, erosione, tensione, vel fractura. Rationi comperta, non distinguitur ab intemperie à medicis; quia medicamina solutioni continui dicata ab illis nō sunt, sed eius causis, hoc est intemperiei. Quare συλλογίζομαι proximam causam dolorū esse solutionem continui, siue ea sit rationi tantum comperta, seu euidens. Avicenna ob malè transfusum codicem, occultam hanc solutionem continui animaduertere nō potuit. Auerrhoēs eludere velle videtur medicos, qui dicebat, intemperiem esse immediatam dolorū causam, nā inquit, obiectū tactus est calor, non solutio unitatis. Nōne voluit Galenus volam manus esse temperatissimam, qua sentimus omnia intemperie à mediocritate abeuntia? At maximè calor & frigus ad extrema recedunt. Ita lusus illi sunt medici. Illi respōderi poterit, si quis acu pungatur, hic dolebit; & quare? dicit Auerrhoes, quia solutio unitatis fiet à punctione, ad solutionem sequetur motus, quem excipiet calor, & à calore erit dolor. At id ridiculum videtur, ad tantam seriem rerum, intemperiem doloris auctorem, sequi. Et illud verum est, moderatissimā esse volam manus: nec propterea tamē sequetur, quòd solum calore feruida aut frigore algida percipere debeat, sed etiam duritiem sentiet & mollitiem. Hoc monstrauit Galenus libro De arte medica, 8. Tactui, inquit, necessaria mediocritas in duritie & mollitie. Itaque tactus nō est vnum & simplex instrumentū, sed quod in moderatione

deratione feruoris & alboris, maioris & squaloris, mollis & duri, asperi & læuis, grauis & leuis, decentique situ atque formâ consistit. Soluitur itaque continuum tensione, contusione, ictu, punctione, incisione vel erosione. Hæ causæ semper notandæ sunt, vt ritè medicæ manus adhiberi possint.

A plenitudine.

Tensio fit vel à plenitudine vel siccitate, vel cum spiritus exitu prohibetur. Si dolor fuerit à plenitudine sanguinis tendentis (vt in phlegmonis euenire solet) ilico pertundenda vena, modò ægri vires id ferant. Sed si imbecillis sit æger, in contrarias partes auerti debet sanguis, & per propinqua deriuari. Quod si his peractis non mitescat dolor, indicio erit parti dolenti alius impressum esse quod dolorem præbet: Quare digerentibus remediis erit curatio molienda. Hoc autem fiet vuido calore tepentibus; illa enim propriè dolorem placant: nam aperiendo spiracula per halitum discutiunt; ita tensio tollitur cum causa tensionis exhauritur: nam fit discussio factâ rariore cute: rarum quid fit à calore non torrido, cum leptomeria tamè. Tale est chamæmelum, lilium, semè lini & fœnigræci, anethum, origanum, calamintha, pulegium, maiorana, melilotus, folia senæ, agaricum. Dolorem mitigat calidum, inquit Hippocrates, vt fodus aquæ tepidæ ac cataplasmatum: id agunt calore blando, ac naturæ nostræ consentaneo: τὸ θερμὸν δέρμα μαλακῶσαι, ἀνώδυνον, inquit Hippocrates, nã cutim emollit, quæ aut siccitate, aut concretione, aut tensione obduruit: & dolo-

5. aph. 22

rem tollit, vacuando, rarefaciendo, temperando, & ad æqualitatem reducendo: vt fodus aquæ tepidæ. Per interualla tamen admoueri calida debent: nam dicebat Hippocrates, si quis diutius multumque iis utatur, carnis effœmationem inuentur, laxatis fibris, dissipatoque proprio carni pabulo, & induto humore excrementitio: & neruorum dicit infirmitatem inferent; nam eorum robur in mediocritate siccitatis consistit. Si dolor à siccitate inuectus fuerit, non alia ratione quàm humectando curari poterit. Est autem duplex siccitas, vna quæ citra tensionem est: altera, cum tensione cutis: hæc, incurabilis: illa, curari potest: vt dum corium igni admouetur, primùm laxat se, demum tenditur exhaustis partibus madioribus. Ita siccitas quæ phrenitidi succedit vel causo vel hypercatharsis, calamitosa est. Vt spasmus qui ex ellebore nimia vi purgandi inferitur, funestus est, inquit Hippocrates: modò ea conuulsio non sit ab acrimonia ellebore quæ neruos ferit, sed, vt dixi, ab hypercatharsi, & ab exhausto; propterea addebat Hippocrates è particula, quæ indicat vacuitatem rei, quæ in questionè cadit. Interdum spiritus exitu prohibitus nimia tensione dolorem præbet. Propria eius curatio est cucurbita, cum flamma copiosa admota: imò dicit Galenus, incantamento similis esse videtur tam prompta medela, siue in intestinis, siue in quauis alia corporis particula dolores fatigauerint. Sin ille spiritus humori sit iunctus ex quo exsurgit, tunc ilico quidem dolor sedatur ab

A siccitate.

A flatu.

11. Methodis.

vsu

vsu cucurbitulæ, sed postridie redit, vel tertio die, vel eadem nocte, si quid deliquerit in victu, aut intempestiuè calfecerit doloribus expositam partem. Tum initio, doloris acerbitas placanda erit cucurbitulæ admotione: ac dein humor excutiendus erit clysmate ex oleo tenui, in quo ruta coxit: ita interdum & vitreos succos eiiciunt, quod ipsi Galeno contigit cum acerbissimo dolore coli premeretur. Si dolor ab erosione & morfu molestus esse pergat, is erit aut ab humore acri & tenui, vel ab humoribus crassis & viscidis. Si ab acri tenuique materia proficiatur, ab extenuantibus & calfacientibus erit abstinendū: nam ab exhibitione maiorem inferent morsum. Optimè tamen curabuntur tales dolores euacuatione materiae mordentis. vt accipe hieræ melitæ, drachmas sex: diaphœnici, drachmas duas: confectionis Indi, & philonij Romani, cuiusq. drachmam: misce, fiat bolus. Vel si renuat æger medicamen, per epicrasin sanetur: Sin id fieri non possit; dabitur narcotica, vt philonij Romani vel requiei Nicolai drachmam. Et quanquam in omni materia dolorem hæc leniant, minùs tamen suo algore lædunt vbi acris tenuisque materia in vitio est: nam refrigerat & siccant, vnde crassato humore ac refrigerato minùs mordicat. Vbi verò succi crassi fuerint, narcotica dānis ægros augment: humores enim crassi dolores inferunt, quia flatus concipiunt: id autem fiet calore, vel obstructione: nam calor cum suam vim expandit in materiā viscosam flatus parit: & obstructio, spiritus

cohibet. Quare intestina cum duplices tunicas gerant, vbi medio earū spatio & flatus & humor constiterit, dolorem atrocem inferent. Si quis tunc narcotica adferret, humorem crassorem redderet & tunicas densaret, vnde exitus spiritibus intercluderetur: & si quis vehementi calore æstuantia offerret, flatus ex materia viscida excitaret. Quare calida non exhibenda, nisi insignem vim rarefaciendi secum trahāt, vt allium & chamæmelum: maximè si febris absit: sin illa adsit, fomentum ex milio vtile erit, & clysmata ex oleo chamæmelino cum adipe anserino. Oculis, auribus, & dentibus dolentibus, in aurem infunduntur torporem conciliantia. Tria in narcoticorum vsu religiosè *Cautia* obseruare debemus; primò, vt sensus tactus hebescat: secūdò, vt narcoticum nihil noxæ aut iniuriæ relinquat in parte ab eius vsu: quare postea calidis fouemus partem, vt docto chamæmelorum, ac castoreo inungimus: tertio, vt affectui cōferat, ita materiæ calidæ & tenui maximè conducit opiatum. Quare in maximis doloribus interdum ad narcotica (quæ stuporem sensui inferunt) veniendū est: maximè cum inde plus commodi quàm incommodi adfertur. Hoc fiet, si vsus eorum solūm ineatur, cum vires resoluuntur: vt cessantibus doloribus robur recolligant, quò morbo fiant pares, & sufficere curationis spacio valeāt. Scopus enim narcoticorum, est, virium cōseruatio. Crudelis est medici ægrum doloribus enecandum propinare: at adulatoris, hæc leuissimis doloribus exhibere; nam

A morsu,
& erosione.

Narcotica
& eorum
recepta.

*Cautio.**Qualitas
in serie.**Copia in
Narcotici-
is.*

vires enim ad hæc trahere debet, sed semper ne quid nimis: verū tamen, læsio melior morte. In biliosa mordente materia, & in febrilibus vaporibus utilis horum est vsus, vbi caput vehementer dolet. Cautio sit, ne vtamur narcoticis in simplici intēperie calida, vbi materia morbificā abest. Quare in vsu opiatorum illud perpendemus, dolorem duobus modis considerari, vel quatenus est perceptio rei naturā trīstis, vel ratione alicuius annexi symptomatis. Ratione trīstis perceptionis non conueniunt opiata; sed ratione iunctorum symptomatum, vt vigiliarum pertinacium in dolore capitis; nam à vigiliis in vitæ discrimen trahitur homo: & in acuta febre à phrenesi metus erit. Vt dextrè vsus narcoticorum ineatur, semper cogitare debemus quo modo illis vtendum sit in qualitate, quantitate, vtendi modo, tempore; & de parte cui admouenda erunt prouisio habenda. Qualitate vtetur hac serie: primò vsum ineat lactucæ & eius succi: secundo loco erunt folia nymphaeæ & oleum eius; hinc succus solatri, radix mandragoræ, capita, folia & semina papauerum, opium. Composita, mythridatium recens, theriaca noua, aut adiectis granis opij recentata: Diaspermaton: Philonium Romanum: Requies Nicolai. Tutior est vsus compositorum. Galenus miscet castorium opio. Quantitas hac formā patebit, accipe philonij Romani, scriptulum: mithridatij veteris, semidrachmam. Foris, in dolore capitis, accipe philonij, drachmā: olei chamæmelini, semunciam: fiat in-

unctio. Vel accipe olei violacei, drachmas tres: aceti, drachmam: opij & croci, vtriusque grana tria: misce, vnge tempora & frontē: non tingatur his sutura coronalis. & purgato corpore toto, his locus erit. Vtendi modus varius est; nā componi possunt linimenta, potiones, pilulæ. Primò à lenioribus auspicandū, vt ab oleo nenupharino. i i. vtemur oleo portulacæ: i i i. mandragoræ. i i i i. papaueris. v. ad opium surgemus. & primò foris vtemur: hinc, intus dabimus. Sedato dolore & vigiliis, vt eluatur frigus ab opio impressum, vngetur locus oleo chamæmelino: intus conseruis calidis vtemur. **T E M P V S** illud euocabit opium, cum lenioribus somnus adduci nequit, & cum summa adest necessitas. Verū nisi opium primò fermentatum fuerit, nunquam intus dabimus. Quare philonium sit sex mensium: nam perennat in decimum annū: sed quò vetustius, eò imbellius. Mitigato dolore, & excussis vigiliis, amoueatur opium, ne lethargus inferatur. Partis, cui admouetur, natura conspecta esse debet: nam si caput dolet, suturæ coronali non erit admouendum narcoticum, sed tēporibus & fronti. Auribus eius quidē indit Rases, sed præstat abstinere, ne auditus lædatur. Cautio hæc semper adsit, ne adhibeantur torpida hæc remedia, vbi crassi ac glutinosi humores exuberant: nā contumaciores fient: modò ne æger omninò periclitetur à dolore. Hæc de dolore. Inter symptomata accidentis mutata, est lingua nigredo, ariditas, & in ea fissuræ. Hæc fiunt ex fuligine ichorum vsta:

*Vtendi
modus.**Tempus.**Cautio.**Partis.**Cautio.**Qualitas
mutata.
Lingua
ariditas.*

vista: nam linguam vestiens tunica, ventriculo communis est, etenim eius est interior tunica, amplissimis venis rigata, quibus sociata est visceribus. Cùm autem lingua spongiosa sit ac poris peruia, facile vstas fuligines bibit: quare, quisnam succus copiã exuberet, in corpore indicat: vnde Hippocrates dicebat, lingua lotium indicat. Hæc siccitas eluitur humidis, vt aqua hordei in qua semen cydoniorum, maluæ, althææ, vel portulacæ coxerit: vel tali linctu. Accipe syrupi violati, semunciam: muccaginis seminum psyllij vel cydoniorum, extractæ in aqua portulacæ vel lactucæ, drachmas duas: si acorem velit, diaribes vel diamori drachmas duas remiscibimus. Et tandẽ venit ad gargarismos, his diamorum vel mel additur. In actionibus alia præterea consistunt symptomata, vt Vigilæ, quæ si vrgeant, inquit Hippocrates, malum; vt signum, & causa: vt signum, ob siccitatẽ cerebri & materiæ somniferæ inopiam: vt causa, nam cerebrum exhauriunt, corpus infirmum reddunt, & materiam morbificam pepasmi expertem relinquunt. Olim vinculis constringebant extrema membra dum ægri fatigarentur, subito lumen subducebant, silentiumque imperabant, vincula soluebant, vt ea mutatione quies obreperet. Præterea fronti ac temporibus tale admouent remedium, accipe vnguenti rosati, & populei, cuiusque tres drachmas: requiei Nicolai drachmam: olei papaueris, duas drachmas: misce, fiat linimentum. Sed narcotica illa pueris non sunt temerè admouenda,

nam in reliquam vitam eorum læderetur memoria. Accipiunt syrupi papaueris, & nymphææ, vtriusque drachmas sex: decocti lactucarum & papaueris, vncias duas: exhibent hora somni. Præscribitur & lac amygdalinum, vt accipe hordei mundati vnciam: seminum frigidorum maiorum excorticatorum, seminum papaueris albi, cuiusque drachmam: amygdalorũ dulcium, decem: fiat emulsio ex aqua: accipe vncias quinque, & adde syrupi de papauere & sacchari albi, cuiusque vnciam. Et manũ & brachiorum ex pelui natatio confert: id fiat ex decocto foliorũ nymphææ, lactucæ, capitum papaueris, rosarum, salicis, violarum. corticum radicum mandragoræ: & pampinorum: & in pelluuium transfusum istud decoctum, pedibus pro lauamento erit. Nam inde profectus vapor irrepit in venas; ac hauriunt ægri naribus vapidam illam humiditatem, vnde blandè madescit cerebrum. Inter cuncta symptomata nullum ^{Syncopes} ^{curat 30.} terribilius est syncope: quare ad eius causas & curationem indagandam, summa eius necessitas nos quasi extra lineam euocat: quamuis non alieno theatro id nũc agimus, qui in symptomatum circo decurrimus. Syncope est vastatio vehemens, ac præceps omnium virium lapsus: maximè facultatis motricis, sensitivæ, ac vitalis. Hoc fit cùm ^{αθρόως} ac nimio raptu sese colligit totus spiritus vitalis in corde, vel cùm affatim ille exhauritur. Lapsus esse virium dicimus, nam ^{δυναμὴς} quædam agendi perseuerat: quã solã, à morte differre syncope

6. Epid. 5. 14.

In actionibus. Vigilæ. 2. Apb. 3.

Cautio.

cope videtur. Nec tamen est simplex lapsus virium, sed præceps ac vehemens virium labefactatio adest: alioqui nihil à lipothymia differret: nam in eâ vident, audiunt, cognoscunt omnia: at hæc, abolita iacent in syncope, in qua adeò percellitur vitalis vis, vt pulsus fileat & vix micare persentiat, totaque cordis œconomia expugnata languet; non spes, non timor aut ira sese ostentant: quare maximè ad hoc symptoma pertinet. Quod symptoma terribile, vt auferri possit, primò compertum esse debet ex quânam causa ortum ducat, hoc est, quis morbus ille sit cuius syncope sit symptoma. Morbi omnes sunt vel intemperies, vel mala conformatio, aut hærent in magnitudine, numero, & situ: aut erit vnitas soluta. Syncope in labefactatam temperiem referri nequit: Nam si foret intemperies cordis leuis, pulsuum tantum mutationem inferret: si verò valida immoderatio illa perseueraret, mortem inferret, vel lento pede, vel subito raptu: si paulatim id fieret, non ex syncope, sed ex intemperie mors obreperet: si verò *αθρόως* percellat cor intemperies, id efficiet ex alterius affectus importatione, qualis est inflammatio. Igitur morbum in mala compositione sui auctore agnoscat syncope: nam incumbit subito ac confertim. Nec cõtinui solutio syncopes causa erit: nam vulnus si cordis sinus penetrarit, effluxu sanguinis rapiuntur homines. Sin vulnus non penetrarit, mox sese iunget phlegmone, dein syncope accersetur. Quare syncope symptoma erit morbi in mala com-

positione. Fit autem syncope, ex dilatatione vel cõstrictione ductuum ac meatuum cordis: hi morbi sunt ex quibus syncope nascitur. Dilatatio ac cõstrictio præter naturam ductuum cordis, ex vitio spirituum sunt. Spiritus enim vitales vitium agnoscunt in motu, aut quod illis remisceatur quid vnde fœdantur. Si motu delinquant, id erit vel ex causa interna aut externa. Interna, vt ex dolore: dolet enim vel pars iuncta ferè cordi, vt stomachus: vel remota aliqua pars dolore concutitur. Si vicina cordi dolore langueat pars, ex cõstrictione syncope erit: si remota, ex resolutione. Externæ causæ sunt vigiliæ; gaudium effusum, quale Diagoræ euenit; & tristitia. Si quid euenerit spiritibus vnde fracti fuerint, illud hærebit vel in substantia spirituum, vel erit ex eorum quantitate vel qualitate. Substantia eorum vitium habet ex nimia crassitie, adeò vt sese expandere nequeant, sed stipant aditus ac exitus, & vna quasi in sede sese colligunt: vel nimia tenuitate & raritate præditi omnia circa cor pandunt. Quantitas molesta est spirituum ex eorum nimia copia aut inedia: copiosi, ex sanguinis surgunt copia: inedia illorum, est ab exhausto, vt ex vigiliis, motibus animi & corporis validioribus quàm naturæ ratio exigit. Qualitas praua ac veneno contaminata interdum iungitur spiritibus: & hinc cordis vasa subsidunt. Hæc contagio, vel foris infertur, aut intus gignitur. Si intus, surgit vel ex materia in corpore existente, vel ex solidis cordis particulis. Si non tantum praua qualitas, sed

s. loc. aff.

Causa.

Substantia.

Copia.

Qualitas.

sed materia illud vitium faciat, illa erit vel mole corporeâ prædita, vel tenuis ac vapida. Corporeo crassamento illa prædita est, quæ in pestiferis febribus cordis succos fœda perniciæ inquinat; vnde spiritus cordis premuntur. Vapida illa materia prava prodit à toto corpore aut peculiari aliqua parte: à toto, vt in febribus mali moris: hoc est: cùm putrida aura (non tamen veneno delibuta) in putredinem rapit cordis succos: à parte interdum surgit, vt ventriculo, hepate, vtero, liene & à pede. Quodsi à solida cordis parte ortum traxerit, id fiet, quod in eo sit conceptum vel erysipelas, vel inflammatio. Inter causas externas est aër pestilentibus miasmatis inquinatus: & cibi venenati, vt fungi quidam & animalium ac plantarum toxica. in hoc symptomate summus est à pristina natura abitus: quod princeps pars morbo fatigetur. acutissimum vitium, & mali moris. **SIGNA:** ipsum symptoma sese aperit. motus magis frangitur quàm sensus internus; obmutescunt, color pallet, sudor frigidus erumpit in fronte: nam resolutâ vi retentrice, alimentalis dimanat humiditas: frigidus sudor, quia per cutem perumpit frigidam, totumque corpus friget. Ab apoplexia differt, nam ibi non ita fractus extabuit pulsus; nec tam fœdus pallor faciem occupat. Vt tam calamitosum malum auerti possit, notis quibusdam internosci eius varietas debet, vt aptè cuique causæ remedium iungi possit. Quare cùm ita prostratus æger iacet, accuratè perpendemus, num ex spirituum motu id euenerit, vel an quid

aliud accesserit. Motus spirituum hoc malum accersit, cùm vi doloris aut agitatione animi vel corporis in peripheriam sese raptim traiciunt; aut cùm subito motu ad cor viam affectant. astantes, & clinici referent vnde natum hoc principium fuerit. Sin spiritibus quid præter naturam euenerit in consistentia, vt si crassiores fuerint, ab exeunte mutato id intelligemus: tunc enim sanguis crassior erit, & frigus partes solidas opprimet: quodsi tenuior sanguis fuerit, argumento erit ex spirituum tenuitate syncopen ortam fuisse: idem affirmabimus si æstu flagrarint partes solidæ. copiam vbertate si spiritus labascant, sanguinis abundantia indicio erit: nam eius accisa copia, spirituum inediam arguit. Si verò qualitas aliqua ab interna causa profecta spiritus contaminat, eam dimanare ex materia succulenta, pestilens febris quæ iam ægrotum implicat, indicabit: at vapida à materia id esse, præsentia quidem febris prauæ notabit, quæ tamen pestilentem illam fœditatem non redolet. Quodsi hæc peruersa qualitas ex aliqua peculiari parte inspiretur spiritibus, id inde animaduertemus, quod diu illa pars negotium ægro fecit: vt vterus, ab oppressis mensibus. At cùm perniciose hæc qualitas à solida cordis substantia spiritibus infertur, tunc vel phlegmone aut erysipelas cordis solidam molem premit: sese hæc vltro proferet: nam febris grandior premet, & cardialgia fatigabit moribundum ægrum, elucebuntque funestissima illa signa, quæ iam iam mortem imminere denotant. Deprehensis

Signa.

Note differentiarum.

*Indicatio-
nes cura-
tione.*

hensis itaque causis, indicationes curatiuæ ponendæ sunt; idque primò, à morbi natura; sed cùm angustia illa viarum ac meatuum cordis momentanea sit, potius à causa (scilicet spiritibus) illas venabimur. Cùm itaque spiritus motu violento abripiuntur à vi doloris, orietur indicatio sopiendi dolorem: sin à nimia animi aut corporis agitatione vehementer moueantur spiritus, proferetur indicatio compescendi eos motus. Si verò à spirituum substantia crassa malum enatum fuerit, erit attenuanda: si tenuior substantia spirituum fuerit, vt crassamentum ducat studebimus. Quantitas spirituum si crimen habet, ad iustam reuocetur copiam. Qualitas si noxam impresserit spiritibus, ea, moderatione temperabitur: & si ea elui nequit, euacuabitur. Pars si vitium fecit, orietur indicatio reuelendi. Cordis à solida si fuerit substantia, euacuandi necessitas aderit. Causa externa sui correctionem postulat. His indicationibus primum ad aptè curandum positus, cautè deinde explorandum, num illæ curando absolui possint: frustra alioqui est omnis medela. Quare si ex dolore acerbissimo vt iliaco, syncope incutiatur, lethalis plerumque est. Ab animi motu, hominibus robustis non ita calamitosa euenit. Syncope à materia pestifera, & ex inflammatione, aut erysipelate cordis funesta. Sin curari posse videatur, primum indagabimus num phlebotomia opus sit. Si fuerit syncope à copia spirituum, & à compressione, vena brachij interna aperienda erit: & id agendum actu etiam existen-

Phlebotomia.

te syncope, ex Galeni sententia. Hinc veniendum ad Pharmaca lenientia, præparantia, purgantia, & roborantia. Inter lenientia sunt & vomitum prouocantia, clysmata, & glandes. Quibus variè vtitur, vt natura & humor ad diuersa inclinant. Cùm succus in ventriculo natat, etiam iam premente syncope vomitoriis excludendus erit.

Cautio tamen sit ab oleo, nam stomachi vim laxat; sed iuri pulli incoquatur raphanus aut cortex medius iuglandis, ac pro vomitorio illud sit. Lenientibus autem medicaminibus aliis non vtitur cùm homo prostratus à syncope iacet; nam stomachus grauius onus conciperet: sed iam expedito à syncope homini præbebimus mannam, vel syrupum rosatū solutiuum, vbi bilis laceffit, ex decocto acetosæ: nam rosa vetriculo robur adfert: quod si viscida recrementa vim hanc intulerint, dabimus mel rosatum solutiuum, aut mel mercurialatū. Præparantia nullum locū habent dum premit syncope, sed præseruationis causa exhibetur. Euacuantia remedia, morbificam materiam exhauriunt lotij promotione, sudorum euocatione, ac alui deiectione. Cor cùm languet ex succis aquosis, vrinaria remedia mirum in modum extrudent malum: si verò ex melancholicis succis prematur cor, ab vsu diureticorum arcendi ægri. Mictoria sunt duplicia, quædam calida & sicca, hæc propriè vretica dicta sunt: alia præterea vretica sunt, quæ leptomeriâ prædita fuerunt sine calore, qualia sunt semina melonum & peponum hæc tunc exhibentur

4. Actus

Lenientia

Vomitio

Galeni 1. Methodi

Vrinaria remedia

bentur cūm caloris feruor æstuat. Quæ per aluum euacuant, hîc vtiliter præscribuntur: nam humores noxios, qui spiritus contaminant, è corpore abstergent: obsunt tamen, quòd vnà copiosè spiritus abripiant. quare sint moderata. Accedit & illud, quòd pharmaca venenosam vim gerant, quâ id, quod nobis inimicū est, prolectant, quòd cum illis familiaritas his intercessit; propterea & naturæ nostræ sunt inimica. Hinc est quòd cardiaca remedia miscenda sunt, ea lege, vt octauam partem, vi, vel mole, remedij occupent: attamen theriaca purgantibus nunquam remisceri debet. Bilis, vi rhabarbari abducitur: agarico cedit pituita: epithymo, atra bilis. Abincenna autem quamuis scammonio vtatur, id pro stimulo tantūm habet, ne phlegmogogum (cui illud adiicit) moram in corpore trahat. Quare infra grana quatuor illud erit adiiciendū: non tamen syncope premente, sed ad præcautionem. A dilatatione si oborta syncope fuerit, remedijs ad centrum reuocandi erunt spiritus. Propterea caput & frontem frigidā aspergimus, remixto aceto & aquâ rosatâ: quòd magna intercedat societas capiti cum corde. Os recludendum ægri, ac rhodostagmate madefaciendum, miscendum corallium & santala, ac reliqua frigida adstringētia erunt in subsidium adferenda. Nimia verò meatuum cordis coarctatio si intulerit synopen, frictionibus ac vinculis foras trahantur spiritus, ac voce magna inclamādus æger, barba & pili vellicandi, os aperiendum, ac theriaca

aut mythridatium palato affricandum, vel nobili vino illinendum, si nil eius vsum prohibuerit. His nihil opis adferētibus, enemata, glandes, sternutatoria cōmodè in vsum accersentur: quod si nec valida sternutatorij vi concitetur æger, de vita eius conclamatum erit. Ab vsum purgantium tandem veniemus ad cor roborantia, quæ vel manifesta potestate, vel latente vi cor stabiliunt: occulta facultate id agūt margaritæ, sericum, aurum & hyacinthus: aperta agendi ratione id efficiunt quæ temperata qualitate cætera præcellunt, vt buglossum, borago, tormentilla: validiore qualitatum flamma hoc præstat dictamnū, angelica, carduus benedictus, crocum. Cūm calentiora hæc exigit vsum, aquæ vitæ iniicientur, quæ exsugget ilico horū viuidā vim: & cum pauca aqua cardui benedicti exhibeatur. Et frigida quædā cordi student, vt rosæ, nymphæa, viola, ribes, caphura, acetum. Hæc primæ qualitatis beneficio cordi suam operam dicarunt. Sed & secundarum qualitatum ratione quædā cor recreant, vt quæ sapore aut odore grato sese naturæ commēdant, vinum suaue, mel & saccharum: odoris autem suauitate, vt aromata cuncta: substantiæ modo tenuioris quædam cordi conferunt, vt succus citriorum, & radices quinquefolij: crassiora, vt rosæ, santala, corallū, myrtilli, besaar. Vsum composita quædam medicamina notauit, quæ abditâ præcellētiâ cordis vim erigunt, vt theriaca & mithridatium: nam conserua boraginis, buglossi, & citriorum, id moderata temperie po-

Roborantia.

Frigida.

Composita.

Cardiaca
miscenda.1. ad
Glauc.Cum à
coarctatione, Re-
media.

tiùs perficere videntur. Citriù malum recēs ex aqua rosata coquitur, dum in succosum crassamentù eliquescat; in fine, saccharo perlato aspergitur: hoc mira nobiliq̄ue potestate cordis œconomiam reficit. Calida commixta remedia, vt diamoscum, diambra, aromaticum rosatum. Frigida, vt conserua rosata, & violata: syrupus de acredine citriorum, diarrhodon abbatis, electarium de gemmīs. Quodsi pestifera febris vim intulerit, accipiemus succorum condensatorū acetosæ, endiuixæ, radicū quinquefolij, cuiusque vnciam: limaturæ aurī, scriptulos duos: caphuræ, semidrachmam: serici crudi, drachmas duas: seminum citriorum, semunciam: conseruæ ex foliis endiuixæ, & acetosæ, cuiusque vnciam: cum syrupo de acredine citriorum fiat electariū. Vtilis eius vsus à semidrachma ad semunciam. In victus ratione aëri prima cura debetur, ob spiritus, qui languescunt in hoc affectu. Cùm ex fusis spiritibus, nimia ex meatuum cordis dilatatione, huius mali periculum imminet, aër rebus frigidis & astringētibus perfundatur. Si à collectione spirituum ne oboriatur syncope periculū sit, moderatus aër conferet: nam cùm iam præsens syncope molesta est, frigidorum vsus conuenit. Quodsi syncopes metus adsit à meatuum combinatione, quæ orta fuit à pleniore sanguine, inedia indulgendum erit, dū sanguis eductus fuerit. Succus crassior cùm periculum hoc iam iam creaturus est, diæta tenuis & tenuans utilis erit: melicratum cum hyssopo hoc euentu

A febre pestifera.

Victus.

commendatur à Galeno. Cùm à dilatatione à syncope discrimē imminet, adstringentibus fructibus indulgebimus, vt malis cydoniis, pyris, granatis, ouis, & carnis succoso alimento. Quodsi non tantum imminentis syncopes metus adsit, sed si iam præsens illa bellum inferat, cùm à plethora est, à cibis temperandum: si ex succis crassis, panem vino madentē illi offeremus: ne vini vi fundant sese humores: nam virium languor vinum postulat. Sin ab expansione ac nimia dilatatione syncope incussa fuerit, vinum potandum erit: nam facilius est refigi potu quàm cibo. sit vinum leptomeriâ præditum ac calidum: vt citò recreet. Si quis nō studiosè Galeni sententiam perpendit de vini exhibitione in syncope, omnino variis sententiis fluctuare videbitur: nam modò omnibus syncopticis vinum præscribit; modò omnem eius vsum his negat. Quare notandum erit in lectione Galeni, num agat de præsentē, vel imminēte syncope: nam cùm ex conuenientibus meatibus à plenitudine eius accessionem veremur, ab vsu vini arcendus erit æger. Verum si à crassis succis ne laceſſat periculum fuerit, viribus sic satis firmis, præstat melicrato indulgere; maxime in febris vacuitate: at viribus à crassis humoribus languētibus, vinum ex pane offerendum; ne succi fundantur crudi. Quodsi ab aperitione ac nimia dilatatione de paroxysmo syncopes periculum fuerit, ac iunxerit se febris, verūtamen si illa syncope non validè presserit, à vino temperandum erit; sed fructus

12. Meth.

De vino.

1. ad Glauco.

Etus stringentes commodè offerentur, vt succus malorū punicorum, cum rebus quæ non facilè dissipari poterūt. Si verò immanis quædam syncope imminet, nec longè absit febrilis paroxysmus, vinū dandum erit aquosum: nam id febrem minùs irritabit: quod si longiùs iunctetur febrilis fatigatio, vinū cum cibo erit offerendum: vt æger perdurare possit. Vinorū magna est varietas, ea vt hoc in vsu rectè accommodari possit, causis syncopes opportunè iungi debet. Propterea cū ad stomachum impetu quodam feruntur spiritus, tenui vino ac calido utemur. Ex hæmorrhagia si meçus adsit syncope, adstringēs vinum utiliter præscribetur: at si sudore nimio manante, ab exhausto syncope iam iam adfutura est, frigido vino indulgendū erit: squalidus corporis ardor si intentet hoc periculum, vinum cum alica oblatum vires firmabit. Sin iam premat syncope ab exhausto, vino tenui recreādus erit æger. Hoc modo symptomati in actione læsa succurrimus. Hactenus itaque de animi deliquiis: in quibus cū duo sint maxima capita causarum: scilicet, resolutio & suffocatio, in symptomatis ablatione maximè ad has collimare debemus. Excrementum si non ex naturæ lege, sed symptomaticus eiiciatur, & si Expulsio in vitio fuerit, examinandū erit, quibus rationibus quid efferatur. Cū itaque Expulsio sit quædam idea motus: & motus tribus tantū perficiatur, motore, mobili, & spacio per quod fit motus: igitur expulsionem tria erunt necessaria, vis expellēs, materia quæ

pellitur, & viæ per quas expelletur. Vis expellens ita firma esse debet, vt illi cedat id quod pelli debet: & vt spacio, per quod traicere aliquid debet, par sit. Expellens potentia, maximè excitatur ab acrimonia materiæ stimulantis: aut quod corpus exactè sentiat, vel quod vis re-
tentrax languet. Materia pellenda facilè extuditur quæ lubrica est: vel, si copiosa fuerit, ab ingenti ciborum vbertate, aut aliunde refusa. Spacium, per quod effluit materia, aptum ad excretionem erit, si pateat, vel si decliuis via elapsus fuerit, aut si in imbellem partem excutiatur. Ex his consociatis, fluxio excrementorum validior insurget, copiosior, ac crebrior. Quare, ex oppositis causis, cū naturæ lineam superant, fiet suppressio symptomatica. Propterea vt mitescant talia symptomata, materiæ acrimonia erit obtundēda, ac crassitie illinenda: partium expellentium sensus exactior sopiendus. expellentē vim domabimus, ac infirmiorē reddemus: & retentricem potentiam firmabimus: viarum ductus obstipabimus, ne aliunde refusa excrementa admittant: excipiens pars erit stabilienda: præceps pars, attollenda. In omni itaque morbo qui materiæ iungitur, explorabimus num ea sit fluxa, an fluxura: an partim fluens, partim fluxura: & utrū hæc materia omnino sit mala, vel omnino benigna: aut partim praua, & partim naturæ consentanea. Vt in inflammatione, primò indagabimus num illa enata sit ratione fluxionis, aut congestionis, cū scilicet sanguis sensum nutritus vice allabi-

Exercitatio quædam.

tur. Si ex fluxu oborta fuerit inflammatio, perpendemus vtrum hic fluxus proficiscatur à causis euidentibus, vel internis: si ab internis, num ex fluxuri sanguinis copia, an eius acrimonia, vel tenuitate: an propellentis partis robore, vel viarum laxitate, vel excipientis partis imbecillitate, sit uve decliui in fluxū materia abrepta fuerit. Euidenti ex causa si euenerit fluxus, num à contusione, ictu vel lapsu, dolente parte vel calente, accersitus sanguini impetus fuerit. Sin à congestione enata inflammatio fuerit, notandum erit, num à fracto partis vigore collecta materia accreuerit, cum mitigari hæc materia ab ea nequit: aut nū vitiata pars materiam hanc fœdet; vel abigere congesta excrementa nequeat. Vnde interdum vitia quædam succedunt inflammationi, vel ratione materiæ, vel loci. Materiæ extra venas positæ ratione pus fit, cum mitigari naturæ vi potest id quod putrescit: sin caloris flos elanguescat, ac malignâ fœdata putredine si materia sordescat, gangrænam inurit parti, dum ferocire incipit. Quod si cadauerosa pars liuescat sine dolore ac arteriarum pulsu, sphacelus vel sideratio dicitur, dum carnem occupat: & os inuadens, caries vocatur.

CAPVT XIII.

DE SECUNDA INDICATIONE, A TEMPERIE TOTIVS CORPORIS.

APRIMA indicatione decernitur remedium, eiusq. copia: sed num admitti debeat eâ vi,

suum iudiciū interponit altera hæc indicatio; quæ tanquam quidam Limentinus accedit interdum aliquid, ac quantitatem limitat. Hæc autem secunda indicatio sumitur à TEMPERIE TOTIVS corporis. Dicitur autem hæc indicatio sui conseruationem; quemadmodum prima, sui ablatione suadebat. Etenim hæc secunda indicatio ab ipsa natura ducitur; quemadmodum secunda, à rebus præter naturam. propterea similibus seruari debet. Etenim omne quod seruatur, similibus seruatur: nam quæ similia sunt, non alterant se mutuo: At corruptio sine alteratione euenire nequit: Igitur à similibus cuncta seruantur: & propterea cuncta quæ ex lege naturæ se habent, similia poscunt. inde fit vt humidis corporibus, magis humida admouenda sint remedia. & quamuis aliquo modo in vitio foret, illud non studendum vt per morbos eluatur. Præscribit autem nobis remedij copiam in morbis: Cum enim æstu præter naturam flagrat corpus, augurari non possumus ad quem frigoris numerū reuocandum sit, ni compertum primum fuerit, quænam ex lege naturæ corpori debeat temperies. Quod si hæc nos fugiant, vel extraneam refrigerabimus, & ad contrariam intemperiem & morbum corpus abducemus: vel infra morbum refrigerantes, aliquid mali restibilis relinquemus. Ex malè nota corporis temperie maxima olim calamitas medendi enata fuit, dum Asclepiades Prusiensis, Themison Laodicæus Syrus, Soranus Ephesius (cuius scripta Cælius Aurelianus

Gal. 5. 9.
& 11.
Methodi
Quantitatem
remedij de-
finit.

utilitas

Gal. 8. Methodi. 2. & 10. Meth. 5. & 3. *Ufus.*
 nus Latina fecit) & Thessalus dia-
 triton in omni temperie ac habitu
 corporis præscribebāt. Quam enim
 finistrè inedia vel bidui indicetur
 hominibus calidis & siccis, admo-
 nuit Hippocrates libro secundo
 Acutorum; si, inquit, vel prandio
 fraudentur, agrè id ferunt oimbel-
 les namque redduntur ac fatiscunt,
 stomachique anxietates incurrunt,
 visceraque suspenfa sentiunt, vri-
 nam profundūt calidam, deiectione-
 que his vritur, oculi cauantur, tem-
 pora palpitant, & extremæ partes
 frigent. Frigidi tamen & humidi
 homines talem inediam impunè
 ferrent. Quare, quantum fieri possit
 assequi studebimus ægri naturam
 communem, & peculiarem; quò ad
 genuinam temperiem fracta cor-
 poris œconomia reuehi possit: hoc
 enim fieri nequit, ni prius explora-
 tum nobis fuerit, quantum abierit
 à pristino statu. Quod enim corpus
 prolixè à sua moderatione abiit,
 maioribus præsiidiis contrariis est
 reuocandum ad suam temperiem.
 Igitur feruidus morbus in corpore
 algido: & frigidus morbus in cor-
 pore calido, egent maiori remedio-
 rum contrariorum incurfu: humi-
 dus morbus naturā siccā inuolu-
 uens, siccioribus medicaminibus
 debellandus: siccus, temperiem
 humidam horrido squalore fœdās,
 præcellenti quadam vi molliri de-
 bebit. Quod non longè degenera-
 uit corpus à sua natura, lenibus re-
 mediis opus habet: nam æstu fla-
 grans intemperies in corpore ferui-
 do, leniter blandeque refrigeranda:
 ita frigidus morbus, in natura fri-
 gida, minus seruore incandescenti-

bus medicamentis tentandus: hu-
 midus in natura humida, minùs
 siccandus: siccus in temperie sicca,
 minus madoris desiderat. Hæc tra-
 didit Hippocrates secundo Apho-
 rismorū lib. Aphorismo trigesimo
 quarto; quem breui paraphrasi ita
 interpretamur, Minus periculosè
 ægrotant (periculosè enim ægrotā-
 mus magnitudine causæ, sympto-
 matum vehementiâ, & difficultate
 curandi, vt in lithiasi; quæ hîc ab-
 sunt: nec mortis causa triplex ex his
 surgere potest; scilicet inflammatio
 inducens marasmū, venenata qua-
 litas, & translatio symptomatice)
 quorum vel ætati vel habitui con-
 gener fuerit morbus: nam adfert
 leuem mutationem temperamenti
 & habitus; vt causi in iuuenibus:
 vel tempori congener, vt tertianæ
 æstate, autumno quartanæ: item, qui
 cælo & solo vernaculi sunt. Hinc
 etiam Hippocrates dicebat, pueris
 diætā humidam cōuenire; vt na-
 tura, similitudine substantiæ, suo
 statu conseruetur. Igitur secūda in-
 dicatio indicat, non maius nec mi-
 nus remedium præscribendū esse,
 quàm cuius præsidio natura ad
 propriam temperiem, vnde disces-
 serat, redire possit. Quare prima
 quidem indicatio, ex affectus præ-
 ter naturā quantitate, remedij con-
 trarij copiam ponit; attamen in
 omnibus morbis, priusquam huius
 vsum admittamus, explorandum
 erit, num hæc secunda Indicatio,
 scilicet Temperies ægri, admittere
 bonis ægri rebus præscriptam hanc
 copiam possit; & num potiùs atte-
 rat aliquid ex remedij vi. Hoc in-
 nuit Galenus sexti Methodi, tertio;

Ex au-
 thoritate
 Hippo-
 cratis.

1. Aphor.
 16.

Si inquit robustus fuerit cui vulnus inflictum fuit, fas erit validioribus in hoc remediis uti: quemadmodum ego iuveni cuidam succi pleno, qui vulnus in carpo accepit, ex pastillis polyidæ sapa solutis, linimenta tincta imposui. Studium itaque illud adsit, quò temperies corporis optimè innotescat ex rebus naturalibus, & non naturalibus: ut sciamus qua iam temperie corpus præditum sit. Etenim medicamenta vim suam retinent, amittunt, vel immutant, pro varia ratione naturarum quibus exhibentur: hoc animaduertimus ex Hippocrate, libro tertio De morbis acutis, ubi demonstrant melicratum aliis esse mictorium, aliis diaphoreticum, aliis aluum deicere.

Galen. 9. Meth. 1. in fine, & initio sequentis.

Observanda.

CAPUT XV.

DE TERTIA INDICATIONE, A LOCO AFFECTO.

QVOD remedium ab affectu morbifico & temperie corporis commendatum fuit, id ipsum incudi reddit pars quæ ex morbo laborat: quò ex hoc collimitio, certa tandem copia medicaminis aucupari possit. Etenim ægra pars, dictatum ab affectu & temperie remedium interdum admittit, interdum verò eius vires validè attenuat. Hæc tertia indicatio initur à loco malè affecto: Ex partis enim quæ in querela est conditione, utendi via, remedij consistentia eiusque quantitas est peruestiganda. Locus qui affligitur, discernitur in partem morbificis causis oppressam, & in ductus ac vias quæ feruntur in partem

Galen. 7. Meth. ultimo.

ægotantem. Loco ægto varia debentur remedia ex eius figura, temperie, usu, sensu, situ & connexione. FIGURA: nam vel pars cavitatem gerit, vel plana est intus, foris, intus & foris, nec intus nec foris: sinuosa vel arcta. Hinc polydædalæ instrumentorum ac medicaminum facies natæ fuere: ut otenchytae, balani, errhina, pessi: hinc hepar latiora epiplastmata flagitat quam ren; attamen minora quàm quæ ventriculo ascribuntur. Hac lege, sinuosis liquida ac meabilia infunduntur, quò vis remedij parietes cunctos sinuosos tangat ac peruadat. Secundò, in parte genuinà notari debet TEMPERIES: cuiuslibet enim parti contigit sua idiosyncrasia; propterea & talia remedia remiscemus, quæ peculiari quadam vi parti ægotanti amica & familiaria sunt; quò vnà vis aliorum medicaminum illi importetur. Cùm itaque fracta fuerit membri calidi moderatio ab incurfu caloris, exili remedio placari poterit: sin vi frigoris expugnata eius indoles fuerit, vberius ac diutiùs calidorum potentia placanda erit. Idem de cæteris intemperiebus dictum puta. Vbi enim non longè extra suæ temperiei lineam quid abiit, expeditus est illi ad temperiem reditus: Propterea duris partibus, dura præsidia adferuntur; ut si pulmo & renes eidem morbo & æquè valido impliciti fuerint, quamuis efflagitent auxilia contraria, eiusdem efficaciam & copiam, attamen pars ægra loquitur, rarioribus pulmonibus molliora, duris renibus validiora afferenda esse. Observandùm, quòd ubi pars corporis malè affecta, temperie

In parte qua notanda. Figura.

Temperies.

Galen. 5. Meth. in fine.

Observatio.

perie madida ac calida dotata est (metu putredinis) aridiora medicamina utilia ac necessaria erunt: ita in palati ulcere aqua forti feliciter utimur. Ita olim Andromachus & Crito aphthis malignis æruginem, alumen scissile, & arsenicum intulere. Eadem hæc lex locum fortitur in fœdis contumacibusque ulceribus sedis, pudendorum, uteri, & vesicæ. Secundò, notandum quo modo temperies partis & morbus affecta sint erga totum corpus: Nam cum pars ægra eandem nacta fuit temperiem cum toto, in morbo contrarietate temperiei, efficacius auxilium flagitabit, ut si ulcus (morbus naturâ humidus) partem siccitate insignem squalido in corpore occupaverit: validius erit siccandum, quam si corpus partemque madore fluctuantem inuasisset. Refert historias quorundam ægrorum Galenus libri tertij Methodi, sexto, & septimo. VBI verò pars & corpus diversi sunt temperamenti, perlustrandum erit quantum ab eucrasia recesserint: Nam quantum laborantis natura iusto madidior est, tantò si pars ægra iusto aridior fuerit, nec incrementum aut decrementum vis pharmaci sumet: sed eiusmodi sit, quale, si morbus in membro moderatione nativa præclara prædito hæteret, admoueremus. Sin squalidior iusto pars tantò est, quantum totius moderatio est madidior; eo filo accrescere remedij siccitas debet, quo partis temperies superat temperamentum totius. Ut cum ternis ordinibus eucrato sicciior fuerit locus, malè ab ulcere affectus, at temperamentum corporis ægri si fuerit

numeris duobus madidior eucrato, consentaneum est, hanc ulcere obsessam particulam, aridius vno ordine postulaturam auxiliū, quam quæ pars temperie insignis est desiderasset. Bona ac temperie moderatissima prædita constitutio, validos perfert remediorum incurfus. Vitiosa temperies, quæ tamen nativa est, similibus gaudet, dum his fouetur: sed facile ad consimilem intemperiem abripitur; tunc moderato rerum contrariorum usu oblectatur, quæ blandè ac sensim in genuinam temperiem reuocant. Quibus autem symbolis notari cuiusque partis temperies possit, docent medici, ubi de signis temperierum scribunt: sed methodus medendi omnia quæ docentur & discuntur, in ægrorum usum euocare docet. Nativam partium temperies servatur similibus; ita sicciiora siccis recreamus. Sunt sicca, quæ nervo & osse abundant: humida, quæ carne & adipe: calida quæ sanguine. Ita sexto methodi vitur Galenus sicciisimis medelis, ad aures purulentas: ad penem verò & testes, humidioribus. Non solum in parte affecta consideratur figura & temperies, sed etiam eius V s v s & virtus. Quare ex usu partis, varia partibus debentur remedia. Partes quarum officium latè sese per corpus fundit, quarumque officio vita carere nequit, quod earum munus commune sit toti corpori, blando naturæque consentaneo remedio firmari debent: ne, resolutis fibris ac robore, intereant. Hoc evenit Theagini Cynico philosopho apud Galenum, qui, ab Attalo Sorani discipulo

1111.
6. Meth. 3

Usus partium.

Roborantia.

13. Meth.
14.

Humida
& calida
partes.
1. Meth.
10. in fine.

11.
Galen. 3.
Meth. 3.
& 7.

111.

Galen. 3.
Meth. 9.

*Vacuatio.**Frigida.*

pulo sinistrè curatus (quòd inflammato hepatis roborantia adhibere nollet) interiit. Præterea ubi pars princeps in vitio est, quæ usum vitæ necessarium habet, eam non confertim & vehementer vacuabimus, ne officij immemor reddatur: quâuis alioqui ex eadem morbidi affectus magnitudine laborarit, quâ pars priuata. Hæc dico ex sententia Galeni, septimo Methodi, decimo tertio, ubi scripsit, nec hepate laborante, nec corde arteriosoque genere & venoso, validè euacuandum esse: sed si larynx, fauces, pulmones laborarint, tantùm vacuandũ quantum postulat morbus. Ita cordi semper adferenda illa remedia quæ blando ac suavi frigore tineta sunt: maximè si per idiopathiam affligatur, vt in febre hectica. Nec ea quæ frigore horrent, aut quæ validè astringunt pectori toti imponenda sunt: frigida enim, scribit Hippocrates quinto Aphorismorũ, vigesimo quarto, vt nix aut glacies, in quibus frigoris summa sunt omnia, pectori bellum indixere; sanguinis & spiritus vias intercipiendo, ipsiusque thoracis naturam (quæ cartilaginea est) labefactando; quod multo calore gaudeat ad vitã tuendam. Sic Galenus, iecori, ob præclaram operã quam præstat corpori, stricto frigore quæ horrent importari noluit: reprehendit enim eos qui in cyphoide remedio opiũ aut hyoscyamum remiscabant. Particulis autẽ aliis quæ tota corporis gubernacula non tenent, sed quæ sibi tantùm viuunt, tantam vim remediorum dabimus, quãtam exposcit morbi potentia. Sed inter hæc non

ultimum locũ habet SENSUS partis: Quæ enim sensu valent, acerbis auxiliis non sunt tentanda, vt oculus, neruus, œsophagus. Quapropter Galenus sexto Methodi, tertio, aliter dicit transigendum esse in neruo læso, qui nudus medicamentorum incursum expositus est; aliter in tecto ac puncto. Partibus autem quibus cespitat ac hebescit sensus, validum remedium inferri poterit: ita Galenus auribus instillare ausus est euphorbiũ. Præterea obseruandum, quòd eximio sensu præditis partibus paulatim remediari præstat, quàm vno impetu: Ita clementer refrigerantia & reuerberantia, in ophthalmia præclare ad doloris lenimen, & causæ morbificæ influxum faciunt; vt muliebri lac supra cotem expressum, & tepidè instillatum. Quin inter hæc suã etiam auctoritatem obtinet SITVS partis; nam & is formã rationemque medicamenti variat, dum alterationis copiam, & vacuandi ideam vel limitat vel præscribit. Vt si renibus à foris remedium inferendum fuerit quod duobus ordinibus friget, lumbis adferemus tribus vel quatuor numeris quod alget medicamentum: nam ob molẽ carneam, quam peruadere remedium debet priusquam renes feriat, suas vires ferè exuit: Ita situs in ventriculi morbis docuit vomitu eos curari, & etiam deiectione: vterum, per menses: cerebrum, palato, naribus & auribus: hepatis caua, secessione: gibba, vrinis commodè inaniri. Si pars eum situm sortita fuerit, quo materiæ refluxu molestiam principibus partibus creare possit, viã eius intercludendã

*Sensus partis.**Situs partis, ad resolutionem, dormitionem & vacuationem peculiarem fact.**Obseruatio.*

dendæ venient; & fluens materia auertenda erit ad ignobilem particulam: Quare **CONNEXIO** partium sæpè perpendenda: nam & illa diuersam ideam remedio inferre potest. ita in oris vlceribus cauemus à lethalibus venenis, ne quid tale ventriculo imprimatur. Sic in parotidibus, quæ, quamuis iam iam emicante inflàmatione retrudentia medicamina exigant, ratione tamen cõnexionis (quia proximè cerebrũ à parotidibus abest) trahentia & foras prolectãtia adhibet Galenus: & si his non cedant, cucurbitulas admouebat: quodsi exili cum dolore effloruerint, tenui crã strictione validè digerentia imponebat. Eadẽ ex situs lege, occipiti bellum indixere quæ à frigore horrèt. **VIAE** ducentes ad particulam afflictam etiam lustrandæ, num angustæ, vel fusæ, aut longæ: Nam quæ partes non longè ab incurso remedij recessere, mitioribus gaudent remediis: ita Galenus asserit aliter nudos neruos, alio modo tectos curandos esse. Quare cùm longæ viæ validius medicamen postulent, tantum roboris peregrini addendum, quantum viæ longinquitas ab eius viribus atteret: propterea nudæ menyngi cùm succurrimus, oleum rosatum tepidum instillamus: quodsi illa cranio carnibusque tecta idem remedium exigat, acētũ oleo committimus. Propterea opium remediis includimus interdũ, ne euanda vis exhauriatur ilico: mel pneumonicis miscemus: & nephriticis mictoria. Exemplo vno tota hæc indicatio illustrior euadet: capitis figura est ita formata vt non facilè li-

gaturas admittat; sed potiùs ea quæ hærent, vt emplastra & vnguenta, talis autem eius temperies, vt nec æstu flagrantia, nec frigore stupentia innoxie ferat. nec validis remediis laxantibus est soluendum; ob præclaram potentiam quam in gubernãdo sensu & motu totius corporis occupat; sed vnà semper roborante remedio illi gratulandum. quamuis alioqui non ille sensus cerebro adsit, quin mediocri remedio par esse possit. ob situm autẽ, quòd maxima cerebri pars sincipiti subsit, illi regioni inferimus remedia: & quia hac in parte viæ per suturam patent, lubentiùs infusiones & vnctiones illi admouemus. nexus autem cùm illi sit cum neruis, suauitaturæque nostræ consentaneo calore gaudebit. Tanta huius indicationis est præstantia à parte ducta, vt vincat interdum principem indicationem quæ elicitur à morbo; scripsit namque Hippocrates, vlcera, nisi vino, humectari non oportere; nisi in articulis fuerint: idem ait, vlcera capitis nulla re madefieri debere, ne vino quidẽ. Est enim mens Hippocratis, caput non ita capax esse inflammationis; quia non est pars contenta, in quam alia pars effundat sua recrementa: at fracturæ capitis sola corruptione redduntur incurabiles; trahunt enim duram menyngem in putredinem, cõtuso osse & suppurato; aut cùm humor in diploë cunctando putrescens, distillat in menyngem: igitur solis cephalicis vtendũ. Sed dicet quis, Vinum deterget & siccat, propterea eius officium ab hac curatione excludi non deberet. Respondemus,

M m m non

Observandum.

non satis est cōtraria contrariis oppugnare, sed contrario id fieri debet excessu: verum, vinum non gerit eam vim, quā æquali excessu caput exsiccare possit. Ita particula morbo fatigata, remedij vim flectit: si enim cunctæ humani corporis partes eandem moderationem, figuram, vsum, ac sensum obtinuisent, eandem copiam medicaminis lubenter admisissent: verum ex naturæ officio fuit, multiformi varietate eas exornare; qua pulcherrimā œconomiā decētissimè diuina hominis fabrica absolueretur: propterea vario remediorū caractere & copia, diuersis partibus, etiam eodem morbo tactis, opus fuit. Maximè vertere solent medendi filum, ventriculus, iecur, splen, renes, vesica, cerebrum, pulmo, & cor.

CAPVT XVI.

DE QVARTA INDICATIONE A VIRIBVS.

MEDICAMEN quod ab affectu morboſo, & à temperie totius & partis propositum & cultum fuit, politius adhuc delimabunt vires, antequam eā copiā, bonis ægrorum rebus, corpori inferri possit. A VIRIBVS ægri quarta Indicatio capitur; quāuis ex euentu, & nō primaria ratione indicent. Vires autem suum focum habent in spiritibus, carnoſo humidoque genere, & in partibus solidis. Quare vires semper indicant sui tutelam. Hoc fiet, si illarū focum intemperies aliqua inuasit, cū ad temperamentum æquabilitatem fiet reductio: aut si ab exhausto illarū focus

Viros in quibus consistat. 12. Meth. 5. Viros ab intemperie, vel exhausto franguntur.

languet, recreabuntur restitutione exhaustæ substantiæ. id efficietur consimilis ac connaturalis materiæ accessione. vt si exhaustis spiritibus vires hebescant, *arēwōdus* diætā has recreabit: si solidis ex partibus fractis langueant, solidis escis erūt reficiendæ: quod si carnoſo à genere hæc virium iactura orta fuerit, reparabuntur medio nutritu; non solido nec nimis liquido. Si verò non ab exhausto, sed ab intemperie virtutis pabulum (nempe spiritus, solidæ & humidæ partes) langueat, illa extinguenda erit. Hoc perficiemus alimentis, commodeque præscripta victus ratione; quam *Asclepiades* solam medicinam vocabat, obscuris ab arte reiectis. Qui optimus præscribendæ diætæ magister haberi velit, quatuor obseruare debet, vbi alterationem substantiæ illa in quibus vires consistunt postulant; affectum morboſum, naturam corporis laborantis, alimenta, & circumstantias. Ex affectu ducitur victus præscribendi qualitas, copia, frequentia, & occasio. Qualitas talis in eduliis emicet, qualis est aduersa morbo & eius causæ. hoc scripsit Hippocrates, cū inquit, humida diætā omnibus febricitantibus utilis: est enim meabilis, coctūque facilis, nec aluum superat, & æquè naturæ studet, & cū morbo pugnat. Ita si infarctus bellum intulit, aperientibus: si solutio unitatis iunctæ, glutinantibus utemur; vt radicibus symphyti, & gelatinis. Aër si spiritus alterarit, corrigatur: Arabes, vbi calore is molestus est, solebāt lintea aquæ ac rosato aceto mergere, & his cubilis parietes vestire.

Observanda in victu infligendo.

Qualitas.

Spiritus alteratus quomodo restituatur.

stire. Observatum fuit ab Acrone Agrigentino (qui, inquit Laërtius, Empedoclis physici auctoritate cōmendatus fuit) miasmata quædam illis corpusculis quæ per aëra rotantur misceri; vnde perniciosam vim, respiratione attractam, spiritus nostri bibunt: quare incendio his absumptis, pestem à patria sua Sicilia arcuit. Huius experimentum secutus est Hippocrates, in magna illa Atheniensium peste, cum incensis vndique focis corollas ac ligna odorata iniici iussisset; eo eventu, quo statuam meruit. Ab omni itaq. putredine alienus sit aër, non cannabe, aut brassica, vel leguminibus foedatus: non barathris, metallis, venenosis animalibus, palustrive aura contaminatus: scripsit enim Scropha vetustissimus rerum rusticarum auctor, palustribus in locis aëri misceri parva quædam animalcula, quæ vnà cum spiritu hausta, lethales morbos procreant: talia in rosis albis vagantur, quæ propterea infaustæ naribus habentur.

COPIA, quâ exhiberi debet cibus ad virium stabilimentum, ex natura affectus intelligetur: tantum dabimus, quantum opus est vt ad vigorem veniat, quæ, si per inedia transigere possit, rectè id ageretur; alioqui in paulo pleniore potiùs peccabimus. Sunt autem passionibus aliæ acutæ, aliæ longæ. Acutæ nonnullæ sunt simpliciter, peracutæ, & acutissimæ: hinc inuenta fuit diæta tenuis, & plena. tenuis, est vel exquisitè tenuis, vel simpliciter tenuis. exquisitè tenuis est duplex, vel extremè, vel non extremè. extremè, vt inedia; debetur hæc morbis

acutissimis, qui quarto die suâ absolunt historiam. non extremè, vt hydromel; ascribitur passionibus peracutis, quæ septimo die finiuntur. simpliciter tenuis, vt ius pulli, ptisanæ cremor, pisces saxatiles; studet acutis morbis simpliciter, qui decimoquarto die suum sortiuntur finem. medius autem victus, vt ius carniū, pyra, gelatina, familiaris esse debet passionibus quæ vigesima luce terminantur. Longa autem passio plenum victum amat: talis est in carne vitulina, veruecina, ouis, lacte, auibus, cuniculis. Sed cur tenuis victus acutis morbis, plenus autè longis debetur? Causa est morbi vigor, qui in propinquo est vbi morbus est acutus; ne natura auocetur à pepasmo ad pepsin. Sed dicet quis, Vnde sciam nū in propinquo sit morbi status, an seriùs ille venturus sit? Ex Hippocrate colligimus quatuor notas esse quæ nos ducunt in cognitionem vigoris morbi, passionis species, anni tempora, periodorum statæ vices, & signa epiphænomena. Morbi species, in magnitudine, more, & motu: quæ pendent ex cuiusque morbi forma, parte affecta, materia morbifica, & humoris dominatu. Anni tempora, hoc est, temporum vicissitudines, & tempestatum mutationes præteritæ, & præsentis: nam temporum præteritorum conditione morbi sunt breues aut longi, salutare aut calamitose: Denique, vt tempestates sunt morborum effectrices, ita conseruatrices existunt. Periodorum statæ vices; vt si paroxysmi anticipet, si sint vehementiores & longiores: irritatæ enim

Quæstio.

I. Aph. 2.

Quantitas cibi ex affectus naturitate.

naturæ signa hæc sunt: quare breuem vel longum fore morbum intelligimus ex incrementis. incrementorum autem ratio ex periodis peti solet. Ex epiphænomenis petuntur signa coctionis & cruditatis; quæ apparent ad salutem vel mortem, ad melius vel deterius. ducuntur ex corporis essentia, actionibus, & excrementis: ex his enim elucet naturæ vis de morbo triumphantis; vel contra. Quare ubi summum morbi vigorem in procinctu esse intelligemus, tenuissimè cibandum erit. **N V M E R V S** autè & frequentia, quâ ægri pastum inire debent, colligitur ex succorum copia: Nam ubi in corpore inedia succi alibilis est, cum ibi virtus cespitet, fraudatis viriû focus suo genio, parcâ manu, attamen sæpe pastum inire debet homo: ne pabuli vbertate calor natiuus qui languet obruatur; & maximè si morbus sese consociet. **Plethora.** Sin corpus succi bonitate circumfluat (vt in plethora euenit) semel tantum in die, vel alternis diebus parum alimenti adferendum: nam in venis præsens his est ipsum nutriticus prædiû. Quodsi copia adest malorum succorû, tenuis diæta ex vsu erit: nam impurum est corpus. si illi sint crudi, qui in nutriticum trahi possunt, raro & parcâ manu cibû offeremus medicatum, qualis est hydromel cum hyslopo coctum. Verùm si adfuerit succorum abundantiâ expers pepseos, sæpè, sed tamen parum erit quid cibi exhibendum. sæpè, quia succus adest coctioni rebellis (qualis est acida pituita;) hinc si raro suo fruerentur genio vires, laberentur. pa-

rum, ne pessundetur natiuum calidum imbelle. Eodè modo trāsigen- dum si luxuriarint succi retortidi ac tenues, ob inediam benigni madoris. accedit & illud, quòd in igneo æstu spiritus facilè exhauriantur; quodque genus carnosum resoluantur: quare in syncopen leui momento abripiuntur; cum acerri- ma bilis per inediam (raptu ventriculi) ex hepate ad stomachum fertur. Parum autem tunc cibi propinamus, quòd stupefeat calidû natiuum: nam à calore igneo, exesum est quasi humidum primigenium. Quodsi fatigetur corpus vbertate succorum crassorum ac retortidorum, sæpe & parcâ manu pastus erit ineundus: sæpè, quia spoliatum est corpus succorum bonitate; & squalidi humores, madore egent. non tamen ea madefactione hic opus est, quæ tam præcellenti potentiâ refrigerat: hæc enim, maximè tenuibus cû acrimonia humoribus debetur. Quarta obseruatio quæ ducitur ab affectu morbofo, erat, **O C C A S I O** dandi cibi. In diuturnis passionibus aptissimû cibus tempus est, quod quàm longissimè à paroxysmorum incurfu recessit: nam in intermittentibus, melior periodi pars est expectanda. In acutis autem quo tempore exhiberi cibus debeat, nemo meliùs explicauit Hippocrate, libro primo De morbis acutis: Exhibendæ, inquit, ptisanæ hanc occasionè & tempus (cum scilicet quis loco & iure vtitur ptisana) tota morbi historia captare oportet: nam, ait, cum frigidi sunt pedes (quod fit initio paroxysmi, per affectionem calidi natiui, à

contra-

*Frequētia
pastus.*

*Inedia
succo.*

Plethora.

*Crudi ubi
succo.*

*Coctionis
expertes.*

*Retortidi
succo 16-
nues.*

*12. Met.
5.*

*Adusti
crassi.*

*Tempus
alendi.*

In longis.

In acutis.

contrariæ materiæ occurſu in ſupere ventre) ptiſanæ uſum inhibere oportet: ne in ventriculo à materia febrili corrumpatur, & in thorace difficultatem ſpirandi adferat. ſed maximè potu abſtinendū; quia facilè corrumpitur. Sed cū febrilis calor ad pedes deſcendit, tunc exhibenda ptiſanæ ſorbitio eſt: reſtitutis temperatiſque hypocondriis, quæ incendio conflagrabant; & thorace recreato: cū materia febrilis iam facta eſt catarrhopoſ. Errant igitur, qui volunt ad perfectam reſolutionem differendū eſſe cibum. Sed benè conſulunt, qui in declinatione exhibent, non expectata perfecta apyrexia. Itaque, inquit Hippocrates, ſibi quiſque perſuadeat velim, caput benè medendi in occasione verſari, plurimumque hęc poſſe in omnibus morbis, tum præcipuè in acutis maximeque calamitoſis, in quibus ardoris febrilis ſumma ſunt omnia. Secundum quod in victu præſcribendo notandum eſſe dicebamus, eſt CORPVS in quo eſt affectus præter naturam: cuius temperies (licet mala) dum morbus expellitur, eſt tuenda: nam natura geminæ mutationi non foret par. Itaque natiua corporis moderatio ſimili nutritu erit fouenda. At dicet quis, ſqualidū corpus, febrili implicitum, quo modo ſiccō victu erigetur? is enim ad morbum faciet: Reſpondemus, actu ſiccis, at potentiâ & vi humectâ præditis id peragemus: ita cum morbo pugnamus, & vnâ naturæ ſtudebimus. Quod ſi igitur febris inuaſerit hominem calidum & humidum, & alium frigidum & humidum, ſine

dubio diuerſa hiſ debetur victus forma. Quare notandæ erunt naturæ: etenim frigida & madida, facile inediaſ ferunt: ab hac humida: hinc quæ frigent: quarto loco eſt ſicca & frigida: quinto, ſicca corporis natura, quæ alioqui calore & frigore moderationem attigit; ea, per longas inediaſ gracileſcit: reficitur tamen faciliùs. Omnium minimè longam inediã ferunt calidi & ſicci homines: nam ab ea acutiſſimis inuoluuntur febribus, à quibus eſt promptus in hecticas dilapſus, & ab hiſ ruruſum in torridum maraſmum: aut ſi os ventris iniuriis patet, in ſyncopen abripiuntur. Hoc pulcherrimo euentu demonſtrauit Galenus, per totū caput tertiu, libro decimo ſuæ Methodi: ubi Theſſalicos medicos, enecatus ferè inedia ab hiſ ager, in fugam coniecit. Qui verò habitu ſunt denſo, qui que non facile exhauriuntur, eſſi citra incommodum ſæpè tulere inediaſ, facile per morbos à cibi copia ſibi temperabunt: cōtra, ubi fracta virtus, habitus rarus & facilis exhaustionis, aut ſucci nimiū tenues fuerint. Tertium quod ad victum ritè inſtituendū animaduertendum diximus, erat ALIMENTVM, in quo tria maximè obſeruabimus, ſubſtantiaſ modum, qualitatem, & copiam. Subſtantiaſ modus notabitur in alteratione, motu locali, & nutritione. In alteratione, quia mitigari debet in ventriculo, propterea indagabimus nū ſit facilis coctio- nis, & nū promptè in putredinem abeat; vt fructus fugaces. In motu locali, an grauitate fundum petat, vel num leuitate fluctuet, agrè vel promptè.

Error.

I I.
Corpus
laborans.

Quæſtio.

I. Meth.

I I I.
Cibus.

promptè digeratur, vt iuscula, & caro assata. In nutritione, num pariat scædum vel benignum succum. cupedia, maximo errore, cupedinarium forum ex ferinâ instruit hesternâ ac marcidâ, quò tenera euadant. At ea teneritudo primus quasi aditus est ad putredinem: adulatur quidè palato, sed die coinquinat sanguinem. Hippocrates dicebat, quò quid propius abest à vita, eò plus roboris afflat: modò tamen mitigari possit. In copia consideratur moles, & vis: brassicæ magna moles parum nutrit: vis, vt generosum vinum, parua mole multum gerit nutrimenti. In qualitate, vt calore, sapore, odore, crassitie varium est alimentum. Ex his legibus, pessimi nutrimenti erit splen bubulus assatus, cū pane fabaceo; & caseus vetustate scætes. optimi nutrimenti hoc, pulpæ carnis caponis, vnciæ duæ: seminum melonum, amygdalorum dulcium, cuiusq. fescuncia: saccari albi, vnciæ quinque: fiant rotulæ cum aqua rosata. Quartum & vltimum quod obseruandū erat in moderando victu ad virium stabilimentū, fuit **CIRCUMSTANTIARVM** ratio: inter quas est ætas, virtus, consuetudo, & aër. Ætatis itaque causâ, varia cibi copia erit decernenda. Hoc præclarè docuit Hippocrates, vbi inquit, qui cruda viridique senecta præditi sunt, inedia patientissimi sunt, quòd neque suctionis sensu, neque ex suctione aut exhausto laborent: quia calor illorum infirmus est, & contumax illis est materia; quòd dominatu melancholici humoris tenentur; & habitu sunt densi. non

sentiunt suctionem, quia pituitosi sunt parte ventris superiori. Quare in his non ita timendum de infirmitatis metu. Mox, inquit, homines constantis ætatis, à senibus, facile inediam ferunt: nequaquam adolescentes: imprimisque pueri, at omnino ex illis, qui fuerint viuidiores & alacriores: quòd ab exhausto & suctionis sensu laborent: his enim ad incrementum & ad resarciendū exhaustum multo nutritu est opus. Pueri multum habent humidi spermatici primigenij, perfusi calore & spiritu: est enim consentaneum vt id quod augetur calidissimum sit, quò non solum materia dissipata instauretur, sed quæ prius extiterat, cōnaturalis materiæ accessione augetur: propterea multo nutritu illis est opus, alioqui corpus eorū tabescit: nam fit in his promotio ad vltiorem terminum, mutatione magnitudinis, quæ fit per extensionem, seruata pristina continuitate. Virtus labefactata eius potètiæ est, vt quæ à morbo & aliis notioribus decreta fuere peruertat. Quare accuratè causa eius imbecillitatis erit perpendenda, num oppressa langueat à morbi vehementia, aut à morbificæ materiæ copia; vel nū pessundata iaceat ab exhausto, vt à nimia euacuatione, cū aluas se in fluxum effudit; aut nimio sudore vel hæmorrhagia nū imbecillior euaserit æger; an verò præcesserit durior parciorq. victu. Interdum ab habitu corporis, & eius temperie vitium est; nam calidi & squalidi, & picrocholi inedia sunt impatientes. Consuetudo etiam suum

Corpora
viri pro-
xima, tã-
tum cali-
di habet,
quantum
aliis nū-
quã.

Virtus.

Consuetudo.

locum

Circum-
stantia.

Ætas.

1. Aphor.
23.14.

locum inter circumstantias sortita fuit. hæc ita mutanda, vt eius vestigium & quasi vmbra retineat diæta: nam solita ea, inutilis. quia, dicit Hippocrates, valentium cibus, sanis robur: at ægrotanti, morbus fit. Quare qui per sanitatē plena manu pastum inire solebant, his hydromel tenuius erit alimentum, quàm quo vigor morbi transigi debeat: quod tamen illi qui tenuius victitare solet, suffecerit in statu morbi. Alius piscibus, alius carnibus assuevit, nonnulli vino, alij ceruisiæ: quidam calidū, rursus alter frigidum potat: alij semel in die, alij bis cibū sumunt. Tandem aër examinari debet; etenim quacumque ratione augetur calor natiuus, copiosorem nutritum requirit: alius autem hyeme ac vere naturā calidissima, sanguinis & spiritus refluxu ad interiora. quamobrem hoc tempore refectioni plus tribuendum. Hæc itaque rectè perpensa inter se committi debent, & perlustrandū, quid inter hæc parum, quidve multum vrgeat: & quantum alter alteri detrahat. Si virtus plurimūm vrget, indicabit solida ac solita diæta opus esse: si fiat tunc accessio vrgentis morbi, pocula morbus exiget, aut meram inediam: iam vtriusque ratione hinc atque illinc detrahe, excurret in forbitionem crassam. Ita semper perlustrandum, quantum alter alteri subducat. P O T V S qualitas ex tribus nobis indicabitur, virtute, morbo, & consuetudine. Virtus prostrata, erigēda vino hippocratico; sin non aded fracta fuerit, oligophoro. Morbus, si calidus est, indicat petū aquosum, & lym-

phatum vinum. Si virtus labefacta vehementer langueat, & insurgat valida vi morbus, virtutis cura obscurabit id quod exigit morbus. Attamē vrgens morbus vincit consuetudinem: nam Galenus causo implicito homini propinat aquam frigidam, etiam ei cui frigida insolens est. Virtus valida non renuit remedium ab aliis indicatum.

Virtus superat morbum: & morbus consuetudinem.

CAPVT XVII.

DE QUINTA INDICATIONE, AB AERE.

Q V O D remedium commēdatum est ab affectu morbifico, & limitatum à temperie totius corporis partisque affectæ, quodque à viribus ægri admissum fuit, tandem aëris iudicium subire debet: nam is vel atterit aliquid à decretis viribus, vel admittit, vt eisdē, cum morbo eiusque causa velitationem commodè subeat. Quare quinta indicatio accipitur ab Aëre qui nos amplectitur, cuius, velimus nolumus, præsentis vi cogimur vti. Habet autem is aër ambiens, vt scribit Galenus, modò rationem præsidij sanantis, modò causæ morbificæ: si enim madorem & frigus flagitarit morbus, id illi officium si præstiterit aër, præsidij vim obtinebit: sin torrido æstu squaleat, morbificis causis erit annumerādus: orieturque tunc notio inhibendi eius noxam. Aëris autem moderatio varia est, ex varietate regionis, anni temporis, soli quod habitatur, & cœli constitutione: Quare eorū singulatim effectus examinandi. Ex Regione: aër in montibus caliginosam auram

9. Meth.

14.

Aër unde varius.

Regio.

ram

Aër. Hippoc. I. Aph. 15. & 18.

Implicatio.

Potus.

2. Meth.

ram & vligine perfusam non susci-
 pit; quare pulmonum malis opitu-
 latur, vt asthma, orthopnoea, ta-
 bi. Demissus autem aer, & monti-
 bus interceptus, ad catarrhos & fe-
 bres putridas promptus est, & ad
 strangulandum opportunus. Talis
 aer Romae est: Hinc Asclepiades,
 apud Caesium Aurelianum refert,
 Romae frequentes fuisse febres, vna
 cum corporis & mentis oppressio-
 ne, & crebro lethargicas oppressio-
 nes calamitosas euenire: Et scribit
 Silimachus apud eundem, ex incu-
 bone veluti lue, apud Romam plu-
 rimos confectos: Et semitertianas
 ibi vulgares fuisse scripsit Galenus.
 Ita marinum aërem laudamus ob
 siccitatem ad curandū hydropem,
 neruosque ad resolutos, & ad mor-
 bum Venereū: argillosa terra ven-
 triculo bellum indixit: gilua, siccata:
 nigra, optima est: miasmata scæda
 quæ expirat, pestilens est. **L O C U M**
 in quo decumbit æger ita præpara-
 bimus, vt in eo conclusus aer natu-
 ræ studeat, & cum morbo pugnet.
 Ita Aëtius splendentia habitacula
 vitat in furore, vertigine, colico do-
 lore, & cephalalgia: quod spiritus
 corporis peculiari vi lucis agitati,
 succos commoueant; quibus in-
 fluentibus, geminatur dolor. Hac
 ratione persuadet Hippocrates, in
 internis inflammationibus die dor-
 miendum esse; quod lucis cōtagio-
 ne abducti spiritus, non ita incur-
 rant viscera: at noctu his vigilan-
 dū; nam tenebras fugiunt spiritus;
 vnde palindrome fit vna sanguinis
 à peripheria corporis ad centrum.
 Qui aer æstu torrido flagrat, refri-
 gerandus aquarum filanis, & asper-

2. Acut.
10.

1. Chron. 3

1. Epid. 2.

Locus.

sione pampinorum, germinum sa-
 licis & iuncorū, poscā, hominum-
 que infrequentia. Arabes sub lecto
 aquam frigidam condebant: alij
 parietes linteis ex aceto madētibus
 vestiebant, alij papyro. Alioqui sic-
 citas aëris si ad morbum facit, va-
 porationibus diluetur. Examinan-
 dum & anni Tempus, nam hoc va-
 lidè temperiem aëris mutat: quare
 in diluendis ac tollendis succorum
 vitis, temporis anni qualitatē no-
 tabimus. Propterea scripsit Hippo-
 crates (ducta indicatione ab aëre)
 sub Cane permolestas esse purga-
 tiones: quod viscera rapidā poten-
 tiā solis incendio conflagentia, à
 pharmaco (quod omne calidū est)
 febrem concipiant: & quod vis na-
 turæ effœta, neq. cathartico, neque
 humori vacuando par esse potest;
 vnde in choleram siccam vi pur-
 gantium trahuntur. Hyeme facilè
 purgatur pituita; æstate bilis: vbi
 æstas veri fit similis, sudores effun-
 dunt febres vberimos, qui non te-
 merè sisti debent. Scripsit Hippo-
 crates, cum morbi inducias præ-
 bent, vere sanguinem emittendum
 & purgandum esse: illud enim ge-
 neratione humorū saluberrimum
 cum sit (paroxysmo tamen fune-
 stum sæpe est) cumque robur natu-
 ræ eo tempore summum sit, facilè
 euacuationem feret. Vltimò, in aëre
 obseruatur cæli status præsens.
 Scribit Galenus, se, eo neglecto, an-
 ni tempore aliquando contentum
 esse. Si morbo non conuenit, arte
 preparari debet: nam si frigida &
 humida fuerit cæli constitutio, &
 talis etiam morbus extiterit, tradu-
 cendum esse in calorem & siccita-
 tem

Anni 17.
pus.

4. Aph. 3

6. Aph. 47

Cali fe-
tus.

10. Met.
5.

CAPVT XVIII.

DE SEXTA INDICATIONE, AB ÆTATE.

tem orietur indicatio. Venti à locis
 fœdis, aut cadauerum inhumato-
 rum pernicie, vel ab halitu terræ
 coinquinati aspirâtes, magnam ca-
 lamitatem inferre solebant: nam
 totum aërem non mouent, sed au-
 ram venenatam tantùm ei aspirât.
 Quare, vt scribit Plutarchus de Isi-
 de & Osiride, sacerdotes Ægyptij
 suffitu aëra purgabant; id, inquit
 Dioscorides, compositione cyphi
 peragebât. Et Acron Agrigentinus,
 primus empiricæ sectæ auctor, igni
 tenuato aëre, pestem abigebat: ita
 Plutarchus *περὶ πολυπραγμοσύνης*, ait
 Empedoclem, grauis auræ pernicie
 per montis scissuram spirante, cā
 obstructâ, pestem auertisse; vnde
κωλυσαμένησαν, hoc est, ventorū pro-
 hibitorem eum vulgo vocatū pro-
 didit Diogenes Laërtius. Musca-
 rum copia aërem putredinis ger-
 men traxisse indicio est. refert Stra-
 bo, interdum in Cantabria aliquos
 cōstitutos fuisse, qui muscas capta-
 rent; & mēsuræ ex copia, præmium
 illis fuisse redditum. Plinius narrat,
 Elæos, Myagrū deum muscarium
 inuocare consueuisse, ipsarū copiâ
 pestem afferente. Notandum, aërem
 duplici ratione indicari: vna, qua
 vires respicit: altera, qua collimat
 ad affectus morbificos. Prima vi,
 nititur stabilire vires: quare harū ad
 solatium, aër purior & moderatus
 perpetuò utilis erit. alterâ potentiâ
 nititur causas morbificas debellare:
 cū enim iam putruit materia, vt
 in peste, aër frigidus & siccus com-
 modus erit, ob madorem: sin inta-
 cta sit à putredine, varius aër opi-
 tulabitur: vt, si bilis vitium fecit, eli-
 gatur aër madens & frigidus.

Ab aliis indicationibus quod
 politum iam est remedium,
 ætatis adhuc censum subire debe-
 bit. Sexta itaque indicatio sumitur
 ab ætate: ætas enim in temperiei
 amissæ reuocatione, & succorū ex-
 clusione suū iudicium interponit.
 Hoc scripsit Hippocrates, vbi in-
 quit, diæta humida febricitantibus
 utilis, sed tribuendum aliquid æta-
 ti: quò natura conseruetur suo statu
 similitudine substantiæ. Quare in-
 dicatione ab Ætate ducta, hoc ora-
 culum protulit noster senex, pueri
 inedia impatientissimi sunt, maxi-
 mē qui ex illis fuerint viuidiore &
 alacriore: nam ab exhausto, & su-
 ctionis sensu laborant. Pueris ad ex-
 haustum resarciendū, & ad incre-
 mentum multo nutritu est opus;
 quia (vt rationem reddit Hippo-
 crates) quæ incrementis augescunt,
 plurimum habent caloris natiui; vt
 pueri, qui circumfluunt humido
 spermatico primigenio, perfuso, ca-
 lore & spiritu. Vnde, cū ignis
 cuncta sit mouere, dissipatur facilè
 illorū humidū; quare, nec inedia
 nec vacationē ferunt. Ita nec Se-
 nes, quòd longa die illorum humi-
 dum, quod ad vitam à natura indi-
 tum fuerat, expirauit: nisi crudi &
 virides fuerint. Ætas itaque mode-
 rabitur remedij vim; vt calidus
 morbus in ætate feruida, minùs fri-
 gida remedia admittit: seniū, quia
 morbidū, humida & calida exigit.
 Nam ætas & consuetudo, tempe-

N n n ramenti

Veni.

Musca.

Libro 3.

Observā.

Veni.

Veni.

I. aph. 16.

I. aph. 13.

Pueri.

Senes.

ramenti interuentu indicat: etenim
etas naturale temperamentū osten-
dit: vt pueri humidi, senes ficci.

CAPVT XIX.

DE SEPTIMA INDI-
CATIONE, A CON-
SVETVDINE.

Galen. 9.
24th. 16

ET consuetudo remedio mensu-
ram imponit. Quæ nihil aliud
est, quàm vis quædam vsu ascititia,
qua eadem pati aut agere inoffensa
naturæ compage licet, in rebus su-
mendis, agendis, excernendis, vel
admouendis: Nam acquisititium
temperamentū declarat; quod na-
turalis loco, curationis tempore, est
habendum: seu in melius, seu in
deterius abierit. Si mutandum, id
fiat sanitatis tēpore, longa die, lon-
goque ocio. Cōsuetudo itaque no-
bis indicat, ad quodnam tempera-
mentum (nempe ascititium) colli-
neandum sit: nam nihil rectè fit si-
ne proposito scopo, ad quem eun-
dum est. Septima itaque indicatio
à Consuetudine ducitur, quæ ser-
uanda est in morbis, nec temerè
mutanda: nam gaudet natura con-
suetis. Ratio huius rei hæc est, quia
id quod coquit, æquè alteratur ac
id quod coquitur: quare assueta fa-
cilè coquuntur: nam naturam non
afficiunt: sed faciunt vt ea suo statu
conseruetur, familiaritate substan-
tiæ & occurrentis qualitatis. Quare
cōsuetudo semper per similia con-
seruationē indicat: propterea Hip-
pocrates dicebat, humidis alendi
qui talibus assuevere. nam humi-
dum temperamentum indicant.
Quanta vis sit consuetudinis, pro-

bat Galenus exemplo Arrij Peripā-
teticici, qui, cūm gracilis natura esset,
& os ventriculi eius ex frigore lan-
gueret, ita vt vel ex leuissima refri-
geratione singultum incurreret, &
ob id nūquam ausus fuisset aquam
gustare, tandem febris occupatus,
atque à medicis coactus frigidā vtī,
(quamuis alij, nisi hæc propinetur,
extinguantur) subitò fuit exanima-
tus. Magna profectò consuetudinis
vis. Quibusdam tanta clysmatum
consuetudo est, vt in eorum inedia
aluus sui immemor stupescat, nec
cedit aliis præsiidiis. Hoc Duci Al-
bano euenit, cui (vt nobis rettulere
eius medici) sine enemate non re-
spondebat aluus: nam sui quasi ob-
lita natura, totam se medicinæ fa-
miliari cōcrediderat. Quare eidem
remedio non perpetuò indulgen-
dum: ne naturæ functio segnescat,
varietur saltem facies medicami-
nis, modò in bolo, modò in potu
hauriatur. Qui autem per sanita-
tem bis partum inire consuevere,
bis per morbi decursum die nu-
tries: qui semel, semel: Nam quan-
tū mutata cōsuetudinis ratio dam-
ni inferat, documento est (inquit
Hippocrates) hominum benè va-
lentium diæta temere mutata. quæ
nam incommoda inde surgāt, pro-
lixè enarrat secundo acutorum, vi-
gesimo aphorismo, & sequentibus.
Magnus itaq; naturæ tyrannus est
consuetudo, quæ sensim irrepens;
tota gubernacula huius œconomiae
sibi tandem ascribit, nec irato ce-
dens genio: cuius leges non solūm
euertere, sed & abrogare interdum
videtur. vt non temerè Cretenses
olim, se abundè àiris deuouisse
existima-

1. De ali-
mentis, &
libro De
consuetu-
dine.

Cautio

Consuetu-
do tyranni-
mus.

Historia. existimarent illū, cui delicias prae-
 uae consuetudinis imprecarentur.
 Ita modesto voti genere, efficacissi-
 mum ultionis euentum reperiebāt.
 Graue profectō assuetudinis pon-
 dus: Mithridates venena assuetudi-
 ne vorabat. puella quaedam, inquit
 Albertus, araneis victitabat. Quod
 nec ratio nec philosophia persuade-
 re possunt, his par est consuetudo.
 Darius cū intellexisset Indis fa-
 miliare esse, vita defunctos paren-
 tes solenni quodā ritu vorare, quod
 putarent ad pietatē pertinere, visce-
 ra ex quibus prodierant, iterū (mu-
 tuo officio) suis visceribus condi-
 conuersus ad praesentes quosdam
 Graecos, rogat, quanti emere velint
 hanc consuetudinem Indorum? re-
 spondebant, longē illam immani-
 tatem à suis abesse, nulloque pretio
 eò abduci posse. mox conuersus ad
 Indos, persuadere voluit vt Graeco-
 rum more, rogo parentes mortuos
 cremarent. Ad quam vocem, mi-
 rum, quae trepidatio & impietatis
 execratio apud hos enata fuerit.
 Cū itaque nec ratio nec philoso-
 phia frenare cōsuetudinis vim po-
 test, non mirū eius habenis huma-
 num corpus trahi. Propterea scri-
 psit Hippocrates, cottidianis labori-
 bus assueti, etiamsi inualidi sint aut
 senes, insuetis, quamuis robustis &
 iuuenibus, facilius consuetos labo-
 res ferunt. Quinetiam quae iam pri-
 dem sunt assueta, minus grauare
 consueuerunt, quamuis peiora sunt
 iis quae familiaria non sunt: quare
 ad consueta iterum facienda muta-
 tio: Ita habent antiqua exemplaria
 καὶ ἐς τὰ σωήθια μεταβάλλειν: non au-
 tem ἀσωήθια vt vulgati textus le-

gunt. Dionysius tyrannus obsidio-
 ne oppidana pressus, cū à sibi
 assueto potu aliquantulum absti-
 nuisset, extemplō tabescere cœpit.
 Non assuetis pharmacia & phle-
 botomia grauis est. Consuetudo re-
 medij eopiam etiam limitat, vt cali-
 dus morbus in homine frigidis as-
 sueto, remediis eget frigidioribus,
 quàm si calidis assueuisset. Quan-
 tum autem robur sit assuetudinis,
 eleganter narrat Theophrastus, li-
 bro nono De historia plantarum,
 capite decimo octauo. Thrasias, in-
 quit, manipulos totos ellebori esita-
 bat. & Eudemus Chius vna die, in
 foro sedēs, viginti duas ellebori po-
 tiones accepit, nec tamen à suis va-
 sis surrexit: tum verò abiit lotum
 atque cœnatum vt consueuerat,
 nec euomuit. Ita parauerat se lon-
 ga assuetudine, paulatim crescen-
 te ellebori mole. Refert hoc ex
 Theophrasto Apollonius in Mira-
 bilibus historiis.

CAPVT XX.

DE OCTAVA INDICA-
 TIONE, AB IDIOSYNCRASIA,
 hoc est, natura proprietate.

MEDICAMEN quod enarra-
 tarum indicationū examen
 subiit, iam tandem & ab Idiosyn-
 crasia commendari debet: etenim
 cuique homini vt contigit propria
 quaedam natura; ita & peculiarem
 sortitur curationem. Octaua itaque
 indicatio ex cuiusq; peculiari natu-
 rae proprietate ducitur: inest enim
 cuique, temperamenti sui proprie-
 tas, quā, cum hoc concordia illi est;
 cum hoc, discordia. Narrat Cæsar

*Vis pro-
 prietas.*

Scaliger de reguli Vasconis equite, qui, audito phormingis sono, vrinam ilico facere cogebatur. Igitur è turma quidam, quem leuis ac ciuilibus ioci offensiuicula aspersisset; ridiculam illi parauit vltionem. Pone discumbentem adduxit eecum quendam cum phorminge. Cuius, vt solebat, sono permotus, ibi sub mensam inter clarissimorum conuiuatum pedes quin meieret continere se non potuit. Limæ stridor quibusdam dentes lædit. Psylli & Marfi serpentes impunè tractant. Ruta & brassica iuxta feri nolunt. Adamas hirci sanguine mollescit. Ita, in hominibus quid abditum est, quod nullis sensibus nullisque notis compertum, latet: quæ difficultas fatigans Galenum, hanc vocem illi expressit, Si ego internoscere possem cuiusque idiosyncrasiam, me talem esse putarem, qualem, *Æsculapium, aut Apollinem fuisse* mente intelligo. Galenus libro De consuetudine scripsit, quibusdam aliqua esse peculiaria, & alium nutritatum alij corpori accommodatorem: & ob id animalia ipsa vltro abrepta à natura, ad ea pabula festinare, quæ sibi peculiari vi sunt dicata; iumenta ad herbas, leones ad carnes. Ita inter homines, inquit, euenit; quidam ne vinum quidem gustare audent: alij caseum fastidiunt: nonnulli ad primum gustum ptisanæ nauseant; quam tamè Hippocrates, & ante illum plurimi medici maximis laudibus nobilitarunt. Mala quibusdam alium liquant, quæ Gedanâ ceruisiâ sistitur. Ita naturæ quædã ad alia remedia trepidant, quæ tamen elleborum fe-

Capite 2.

7. Met. 6.

runt. Regandi itaque ægri, quibus cibis & remediis comodè vsi fuerint. Cassiã nonnulli pro nutritata fruuntur, aliis torminosa & fastidij plena est. nonnullis manna in bilem abit, aliis alium soluit. glandes quosdam in syncopen abripiunt, & tamen onemata ferunt. quidam bubulam coquunt, quibus gallinacea in corruptelam abit. Quare, quod maximè familiare cuiusque naturæ fuerit, propinare ne verearis: etiamsi alia in corpora iniquum fuerit. sapienter Pindarus, Olymp. 8. *τεπρον δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσται* & δ' ἐν. nihil est quod æquè cunctos delectat homines. Vidimus Neapoli seruos, qui magnam vim meconij vorabant: aliosq. qui copiosissimè absque noxa papauere vescebantur. Propterea iure scripsit Hippocrates, paulò deterior cibus aut potus suauior tamè, melioribus quidem, sed suauitate imparibus, est anteponendus. Quasi dicat, illa suauitate meliùs œconomix nutritionis consulitur: quamuis alioqui cibus nõ ita sit meabilis, nec triplicis naturæ exhausto (celeritate nutriendi) historix morbi accommodatus.

2. Apho
38.

CAPVT XXI.
DE NONA INDICATIONE, A SEXV.

PRÆSIDIVM quod ab aliis indicationibus receptum est, sexui etiam num arrideat, videri debet. Quare cogitandum, num vir sit vel mulier cui medicina adferenda est. Cùm enim mulier statis quibusdam periodis ab utero vacuetur, eiusq. solidæ partes (quamuis sanguinem

guinem gerant calidiorum) longè virilibus sint frigidiores & molliores, aliter habendæ erunt ac viri: nec æquè granibus præsiis tentandæ. Si tamen incurrerit mulierem humidam & frigidam morbus calidus & siccus, inter mulieres, hæc validis præsiis erit reuocanda: quia longè à naturæ lege abiit. De hac indicatione ita Hippocrates, Prægnantes purgandæ si humor sit effusus, quadrimestris purgatio, dum septimestris fuerit. Nam tum, sine offensione fœtus, vteri, & vmbilici, ea facile transigetur. Quia cum fœtus moueri incipit, vincula valida sunt: minus, iam grandescente fœtu; nam vincula vteri, secundarum, & vmbilici, tunc non longè absunt vt laxentur. Nec copiosè sanguis ab his extrahi debet. In ægrota muliere semper cautio sit de mensibus, & num vtero remedium debeatur.

CAPVT XXII.

DE DECIMA INDICATIONE, A VITÆ INSTITVTO.

AN vitæ institutum admittat iam in lucem à cæteris indicationibus productum auxilium, etiam perpendendum venit. Accipitur itaq. decima indicatio à munere & exercitio, vel arte in qua cuiusq. studium versatur. Nam, pro vitæ munere, alterationis & vacationis modus erit instituendus; vt cuiusq. inde ascititia tēperies fuerit. Qui calidis in officiis vitam terunt, quales coci, furnarij, chymistæ, cum in calidos morbos abrepti sunt, minus frigidis egent, quò in naturam

à studio susceptam redeant, quàm si piscator eisdem implicitus hæret. Qui in ocio & vmbra degunt, largè vacuandi: qui exercitijs exhaustiuntur, parcius.

CAPVT XXIII.

DE VNDECIMA INDICATIONE, A BREVI-TATE & LONGITUDINE MORBI.

VNDECIMA indicatio ducitur à diuturnitate, vel à præcipiti motu morbi. Etenim vbi est morbus peracutus, qui celeriter suam absoluit historiam, & in quo in promptu laborum plena sunt omnia, (cum scilicet morbificis causis, & symptomatum vehementiâ natura opprimitur) tenuis victus erit præscribendus: quia in his iam iam adfuturus est summus morbi vigor. Quod si morbus non ita est peracutus, pro eo à tenui discedendum, vt morbus extremis est lenior. Ita à morbi ductu indicatione curandi aucupamur; cum, ex Hippocratis sentētia, incunte morbo non purgamus: nam initio morborum nihil est naturæ vim mitigatum, & ad temperiei mediocritatem redactum. Sed vt tractu temporis variæ fiunt coctiones, ita gradus purgationis esse debent.

CAPVT XXIIII.

DE DODECIMA INDICATIONE, A QVATVOR MORBI GENERALIBUS TEMPORIBUS.

TANDEM notandum, num decursus morbi, & illud quod iam suæ historię percurrit tempus,

à reliquis indicationibus imperatum auxilium admittat. In morborum tractu, morbi vigor summus maximè collimandus: nam in vigore nihil exhiberi debet, ne cibus quidem, si vires perstiterint. Scribit id Hippocrates, quibuscunque iam iam futurus est vigor morbi, diætam tenuem extemplo victitent. Aderit autem ilico vigor, in morbis peracutis, qui continenter, celeriter & vehementer mouentur, ad salutem vel ad mortem. Peracutus est speciei vel individui ratione: speciei quidem, inflammatione, venenata qualitate, aut impedimèto nobilis partis; vt febris ardens, syncope, pestis, apoplexia, synanche. Individui verò, à magnitudine causæ, vel à symptomatum vehementia; vt pleuritis in sene, parotis in iuvene. Quod si longior morbi historia fuerit, tum, quia non aded impeditæ sunt vires corporis à morbo & symptomatum vehementia, de inedia erit remittendum, & à tenui victu recedendum; quò æger possit ad vigorem perdurare. In vigore autem morbi, tenuem diætam victitent, vt natura pepasimum ineat, quem ea vi molitur, qua alimentorù pepsin: propterea nõ erit media naturæ vis ad mitigationem ciborum abducenda; sed potiùs toto nisu in morbum feratur: ac illud studiù illi sit, quo morbificam materiam domet, ac eiiciat. Quibus autem ferius futurus est vigor, & eo ipso tempore status, & paulo ante, & post (ad triuum ferè) est adimendù alimentum: tunc enim potiùs incumbendum est in materiæ morbificæ coctionem, quam naturæ studendum

cibo & potu. In principiis & augmentis morborum, liberaliùs indulgendum; ne ægri vires ante vigorem coincidant. Declinante morbo, lentè reficiendi; ne (quod apud Hippocratem cuidã euenit) subito è medio tollatur, ex insolenti subitaque repletionem. Elucet hæc indicatio in inflammationibus, nam in his, ineunte morbo, repellimus affluentem materiam: in augmento coquimus: in statu aperimus: in declinante maximè euacuamus.

CAPVT XXV.

DECIMATERTIA INDICATIO, A PARTICULARIBUS PAROXYSMIS.

ACÆTERIS indicationibus inuentum & politum remedium quo modo adhiberi possit commodè, cum variis periodis recurrit morbus, cogitandù est. Hæc indicatio à paroxysmis particularibus morborum sumitur. qui paroxysmus nihil aliud est, quam deterius periodi tempus. In eo, magnis remediis fatigari corpus nõ debet: sed quò natura & morbifica materia viam affectant, eò remedia sese inclinent. his ineuntibus vomat: desinentibus sudet, aut mingat. De hac Hippocrates, In paroxysmis de cibo vereri oportet, nam eius accessio damno est. quinetiam qui per circuitus ingrauescunt, in ipsis paroxysmis inedia imperanda: vt in efflorescentibus doloribus colicis, cephalalgicis, epilepticis, asthmaticis, nephriticis. Id religiosè admodum inculcauit Hippocrates, decimonono Aphorismo libri primi, In paroxysmis

Paroxysmus quidam

1. aph. 11.

paroxyfmis periodicis nihil exhibendū, nec vlla ratione induci quis debet vt exhibendū putet (ita enim *μὴ δὲ ἀναγκάζειν* vertendum: & non, nec cogere.) Sed contrā demenda cibi accessio ante crises, Quasi dicat Hippocrates, decipimur specie infirmitatis: si vires vi morbi languent, non exhibebis; sed si ab exhausto laborent: quod materia sit anarrhops, omnisque nutritionis & respirationis œconomia laboret; & natura, quæ est pepsos & pepsimi causa, ab instituto auocetur. Attamen aliquando in paroxyfmis concedi tibus debet, hominibus squalidis à calore & siccitate, in illis febribus quæ accenduntur ob mordentē acrimoniam, vel à succis calfactis & attenuatis à sole, inediā, laboribus. His, ad primū horrorem, Galenus febrem inhibere solet, dato pane ex vino: nā in nullo squalido affectu cōmodè finitur accessio; priusquam illis vel ex lauaero vel victu mador accesserit. Secus in illis quæ sunt à plenitudine; obstructione, phlegmone, & putredine. Propterea cū squalida corpora hæc passiones incurrunt, funestum: nam si cibo corpori studes, morbus necabit: sin inediā morbo, squalidum corpus fatiscet.

CAPVOT XXVII.

DECIMA QVARTA

INDICATIO, AB ORDINATIS NATURÆ FUNCTIONIBUS.

HA c indicationē vtentes, iubeamus vt per morbos interdium vigilant & noctū somnum ineant; nam ita natura comparatum est. ni-

si tamen principum internarumque partium inflāmatio adfuerit; tunc enim interdium dormire, & noctū vigilare præstat: quia spiritus lucem sequuntur, & tenebras fugiunt, vnaque secum humores rapiunt. Ita stata tempora (nisi quid impediat) ciborū, exercitij, & recrementorū eiciendorū seruamus. hæmorrhoides quibusdā statis periodis fluunt, mulieribus menses, puerperis lochia, quæ, nisi viginti sex diebus purgentur, morbū faciunt. si hæc non processerint, indicatione ductā ab ordinatis naturæ functionibus, promouenda erunt. Cautè notandū quid fiat à natura, & quid à morbo. scripsit Hippocrates, quibus iuuenibus profusior est aluus, nō à diætā, sed à bilis acrioris vberitate, vellicantis intestina, & labefactata aluo ab æstu: iis senescentibus contrahitur; quod bilis mitior pituitescat, & vetus alui infirmitas ab æstu, temperamenti mutatione sanatur. Et quibus in adolescētia fuit astricta aluus, ex hepatis ardore corporisque raritate, in affecta ætate soluitur: etenim corporis densitate melancholescit biliosum corpus; & hinc cōtrario motu rapitur bilis; quæ cū primò anarrhops erat, iam fit catarrhops.

CAPVOT XXVII.

DECIMA QVINTA

INDICATIO, A REMEDIO.

ANTEQVAM empirica secta ab Actone Agrigentino condita esset, Græci, qui remediorum cognitione excellabant, Deorum filios vocabant. qui profectò herbarum

ἀναγκάζειν
quid Hip-
pocrati.

Exceptio.
10. Me-
thodo 3.

2. aph. 10

rum quandā potius experientiam habuisse videtur, quam artem medendi. Qualia remedia apud Græcos Chiron Centaurus, & ab eo eruditi Heroës nouerant. sic multa de Aristæo, Polyido, & Melampode scribuntur, à quo (quod Praxidas Thraciæ mulieres elleboro purgasset) Melampodium dictum ellebori medicamen fuit. Quare vnica hæc indicatio nobilitauit maximè antiquos Heroes & Heroïdes, Lysimachum, Achillem, Gentiū, Dianam, Helenā, Ononem, Paridem.

Remedia morbo propriè dicata, materię morbificæ, & parti morbo oppressæ, cæterisque indicationibus proprio quodam Marte studentia, si fecunda illa naturæ parens protulisset, nec si quæ sunt abdidisset, non opus fuisset medicamentorum compositione. Sed agrè deprehendi possunt remedia quæ cuiq; morborum ideæ satisfaciunt: quòd iuxta varia variarū indicationum remixta vi, nullus morbus omnibus sit idem; quare nec vllum remedij est genus, quod eandem vim in omnes exercet. Etenim aliquid plerumque hæret remedio, quod indicatio aliqua nullo modo admittit: ut cum vel occultâ aut manifestâ vi refragatur remedium. Occultâ potentiâ cantharides noxam inferunt vesicæ; alioqui mictorium remedium vix vllum foret his præstantius: argentum viuū aures obtundit; alioqui præcellens vicerum malignorum auxilium linguam impedit lithargyrum. Manifestæ qualitatis ratione desideramus interdum aliquid in remedio, cum vel ex prima secunda aut tertia qualitate ei quid

adhæsit, quod minimè indicationibus curatiuis conuenit. Interdum enim euenit, vt ad inanum sit medicamen feruidum tertio ordine, cum opus sit tantum caloris secundo numero: quare remiscebimus frigidum remedium in primo ambitu, vt ea moderatione ad secundum gradū caloris feruor resideat. A secundis qualitatibus interdum nobis quid abstergendum est: vt si alioqui commodū indicationibus remedium compertum fuerit, at si nimis sit abstergēs, adiiciemus aliquid quod emplasticum sit: si nimis celere fuerit, quod cunctantius agit addeamus; vt cantharidibus gummi tragacanthum iungemus. Ita in nimis rarefacientibus, tendentibus, incidentibus, attrahentibus, mollientibus, appetentibus, vniuentibus, contrariâ vi noxam inhibebimus. Tertia in Qualitate nonnunquam aliquam rationem desideramus, vt saporis, coloris, odoris. Sapor, quantum fieri potest, ex ægri votis sit; nam ita melius œconomix nutritionis consulitur: cum quæ grata sunt, ea, suauitate quadam auidius ventriculus amplectitur; nam, iis gaudet, facileq; eorum vim in apertum profert. Propterea oxymel non ex eadem copia aceti & mellis parari semper debet; sed pro cuiusque palato. Odorem quo æger maximè delectetur indagabimus, ne ventriculus subuertatur inimico nidore: ac grata dabimus, modò illa ad morbum non faciant. Vt in capillorū vitiis, antiqui medici suaue spirantia quædam semper adiciebant: & Crito ab vrinis abstinere iubet, Oculis insuper student

*Occulta.**Manifesta.*1. Quæ
lib. 4.2. Quæ
lib. 4.3. Quæ
lib. 4.

4. Sapor

dent interdum medici, dum pilulas aut opiata auri foliis inuoluunt. *Consistentia.* Consistentiæ etiam ratio habenda; nam quidam pilulas facile deglutiunt, at à potibus abhorrent. Et ad ægri affectusque naturam referatur semper medicamen quod ad manum est: ne torminibus vomitibusq. expositis, offeras Agaricum: nec dacrydion, colocynthidem, elaterium, turbith, vbi venarum effusio molesta est. Et cum elegans illa ars hodie emicuerit quæ librare docet vires à mole corporea, succis, salibus, ac oleis à terrestri mole abductis, vt ægri remediorum comodo, sine eorû fastidio fruantur, quantum fieri poterit his vtemur. Sed tamen ea cautio adsit, ne consistentiæ versio, euerfionem virium conferat: vt rhabarbarû in tenuissimum pollinem redactum vrinas promouet, ac aluum sistit interdum. ita anisum ni crassiusculè comminutum cum cassia exhibeatur, eam abducit ad vrinarum vias. Itaq. quâ parte remedia deficiunt, suppleas: quâ lædunt, corrigas. Remedia enim vel ratione nostri, vel ratione suæ substatiæ officium non semper suum faciunt. Hoc eleganter monstrauit Hippocrates, tertio Acutorû, in melicrato; quibusdam id mirè prodest, & vrinas mouet: picrocholis & megalosplagchnis inimicû. Quare medicamina vim suam retinent, amittunt, vel mutant pro varia ratione naturæ cui exhibentur. Difficile igitur remedium inuenite quod sine noxa profit, nisi ab arte poliatur. Medicamenta varias induunt formas ablutio, infusione, elixatione, frictione, torrefactione, incineratione, extinctione.

Abluimus cum quid detrahere medicamini volumus, vel adiiicere: vt cum pampholygem ex aqua rosata lauamus, quò vi acriore depositâ, solâ siccandi potentiâ valeat; ita à calce mordentem vim eluimus. Vel ablutio quid adiiicimus: vt cum vnguëti rosati vim excitamus, aceto abluimus: ita terebinthina aquâ falsâ lauatur, vt scabiem siccet. aceto, aquâ, succis, lixitiis, & vino plerumque ablutio absoluitur. Infundimus in aqua, vino, aliòve liquore, sine decoctione: diu, aut parum hætere iubemus, vt validè vel parcè vim elicere volumus: ita guaiacum, & salsamparillam, agaricum, rhabarbarum, & senas infundimus. Decoquantur radices, folia, semina, aromata, & quicquid ex se effundere quid solet in aquam vel simplicem, vel stillatitiam, aut in vinum, aliùmve in liquorem, vt eorum vis traducatur: idque valido, vel miti feruore: hinc leni vel valida expressione colantur.

Frictione vtimur, cum leniendi facultatem aspirare volumus remediis: vt raphanû frigimus ex adipe anserino, cum, admoto eo, calculum educere nitimur. Torrefactioni locus erit, quando in puluerem terere quid volumus: vel vt halitus inutilis expiret: aut vt id quod nobis non placet, auferatur: ita dum rhabarbarum torretur, purgandi vis expirat. Extinguimus cum fumo vti volumus, vt chalybis, aut auri: aut cum crassis egemus, ablatis tenuibus; ita lapilli candentes lacti iniecti serum absorbent. Qua arte omnia parari debeant, eleganter explicat

*Ablutio.**Infusio.**Decoctio.**Frictio.**Torrefactio.**Extinctio.**Consistentia.**Distillatio.**Correctiones remedium.*

plicat doctissimus vir Iacobus Syluius, ad Mesuem: nam nos generalem tantum Methodum indicamus. Id notandum, remedia vni affectui dicata, meliora esse polychrestis. Quædam ob commoditatem tantum remediis adduntur, vt cera vnguentis, emplastris lithargyrum. Quibus cautionibus cuncta aptè formari debeant, abundè primo libro descripsimus. Hic subsisterem lubenter, nisi quædam vtiliter de remediorum viribus subiicienda viderentur, quæ tamè tertium locum inter indicationes iure quodam sibi vendicare possint: ilico enim ab explorato affectu ac parte affecta sese remedium offert. Verum ne bis de eisdem, huc reieci. Veratrum coturnici nutrimentum est, hominibus pharmacum: Cicuta sturni pro nutrimento fruuntur, anseri lethalis: ferula asino nutrimentum est, iumentis reliquis calamitosa. Hæc itaque ex naturæ varietate eueniunt: nam Alexandro puella napello nutrita oblata fuit, quæ spiritu funestum halitum afflaret. Quicquid igitur cuique eiusmodi fuerit, quod mutare corporis qualitates potest, neque in substantiam corporis vertatur, medicamentum ei erit. Medicamina petuntur ab animalibus, plantis, terra, aqua, & aëre. Hæc qualitatibus certis à summo Deo ornata fuere. Qualitates has vires exercet. Calor moderatus, maturat, attenuat, subtile reddit, rarefacit, aperit, digerit, suppurat, læuigat, deterget: immoderatus calor, inflamat ac mordicat, trahit, rubedinem infert, liquat, vesicas excitat, cicatrices contrahit, ac enecat. Frigus modera-

tum, densat & obstruit: validum congelat, increffat, stuporem infert, repellit, exasperat, ac extinguit. Humiditas temperata, lubricat, læuigat, mitificat, mollit, laxat: immoderata, infarcit, glutinat, tumorem flatuosum excitat. Siccitas moderatior rarefacit, attenuat: immoderata, astringit, indurat, tedit, emaciat, contrahit, findit. Quælibet autem qualitas quatuor gradus, & hi iterum suos ambitus sortiuntur: nam quædam calent in primi gradus principio, alia in medio, nonnulla in fine. Ordinum limites quidam sunt, vt aqua tepida, temperata est: si parum vterius incaluerit, in primo gradu calida erit: si calorem manifestò præbeat, erit in secundo gradu calida: si vehementius, tertium numerum explebit: quod si vrat, quartum ordinem attinget. Primo numero calent absinthium, althæa, amygdala dulcia, beta, brassica, chamæmelum, ladanum, semen lini, saccharum, orobus, vinum nouum. Secundo: ammoniacum, apium, arthemisia, chamæpitys, anethum, crocum, fœnugræcum, ficus, mastix, thus, salvia, myrrha, marrubiū, mel, melissa, nux myristica, pix, scylla, sal, sarcocolla, opopanax, bryonia, ammi. Tertio: abrotanum, agnus, anisum, asarum, aristolochia, chamædryas, sabina, calamintha, cinnamomum, iris, iuniperus, hyssopum, origanum, sagapenum, chelidonium maius, ruta satiuæ. Quarto: allium, cæpa, euphorbium, nasturtium, pyrethrum, sinapi, tithymalli, anacardi, ruta syluestris, chelidonium minus. FRIGIDA in primo: atriplex, hordeum, cydonia mala, malua, pyra, pruna,

Remedio-
rum vi-
res.

Calor.

Frigus.

Gradus.

Calida.

Frigida.

pruna, rosa, viola. Secundo: acacia, cucurbita, cucumis, mala granata acida, plantago, polygonum, solanum hortense. Tertio: hyoscyamus, solanum somniferum, portulaca, semperuiuum, mandragora. Quarto: cicuta, papauer omne excepto corniculato, opium. **HUMIDA** in primo: buglossum, viola, malua, rapum, spinachia. Secundo: ammoniacum, lactuca, cucurbita, portulaca, cucumis, melones. **SICCA** ordine primo: thus, chamæmelum, brassica, sarcocolla, crocum, faba, fœnugræcum, hordeum integrum. Secundo: arthemisia, orobus, balau- stia, lens, mastiche, mel, salanethû, myrrha, pix, plantago, nux myristica. Tertio: abrotanum vstum, absinthium, myrtus, acetû, aloë, milium, cuminum, sanguis draconis, galba, sabina. Quarto: piper, allium, nasturtium, sinapi, euphorbiû. Hanc facultatum seriem, per omnium remedium varietatē, ac certo qualitatum ordine prolixè & doctè enumeravit D. Andernacus, Cōmentarij secūdi, De veteri & noua medicina, Dialogo quinto. **TERTIA** ac reliquę facultates ex primis nasci videntur: vt vrinas mouere, sudores prouocare, glutinare, astringere. De quibus abundè Fernelius libro sexto Methodi, & Holerius primo & secundo libro De chirurgia. Ita & repercutientia, attrahentia, resoluentia, suppurantia, mollientia, detergentia, sarcotica, epulotica, glutinantia, pyrotica, anodyna, hi & reliqui doctiores chirurgi copiosè prosequuntur, inter quos primæ notæ Pareius est, qui hæc breuiter & distinctè libro decimo-

quinto, capite nono & sequētibus: nam qui vnum legit, omnes legit. Maximum autem nobis studium esse debet, vt vires eorum medicaminum apertæ nobis sint, quorum creberrimus est vsus. Quare primarum qualitatum vis cum explorata fuerit, non ibi subsistendū erit, sed vltra pergendum ad secundas & tertias; & quam substantia præditum sit indagandum erit. In substantia notabimus nū medicamentum sit graue vel leue, rarū aut densum, crassum num tenue, lenū aut friabile, vacuum vel plenum, purum an impurum. Qualitate tertiā varia sunt remedia: vt sapore, odore: sed de his satis egimus libro secundo capite xxi. vbi De compositis purgantibus. Hoc obseruandū: quę propinantur vt emolliant, vel extenuent, vel detergeant, aut dissoluant, cuncta fluxā liquidaque ideā valentiora sunt. Quę verò repellunt vel attrahūt, aut incrassant, vel roborant, solidiora sunt efficaciora. Detergentia & mollientia, inter hæc mediam amant formam. Cauendum in remedium vstu à resoluentibus membra principalia, aut eis vicina: Secūdo, à vehementer infrigidantibus: Tertio à contrariis & naturæ nostræ aduersis qualitibus, vt à præcipitato, cerussa, flore æris. Tandem ea cautio perpetuò adsit, vt ignotus morbus naturæ cōmittatur: nam vel eum vincet, vel aperiet. & cum ad remedia ventum est, potius eligatur ea, quę vnā naturæ student, illique robur afflant. Semperque animo hæreat, Naturæ hyparxin in symmetro habitare: hoc dixit Hippocrates, plurimum

Substantia

Tertia
qualitas
100Cautio
100

mum & repente vel vacuare, vel replere, vel calfacere, aut refrigerare, adeoque in vniuersum corpus mouere, periculi plenum: nam omnem nimium naturæ bellum indixit. Vicissim ac sensim quod fit, tutum. Præterea illud Hippocratis: Si quis omnia conuenienter faciat, in diætâ, alteratione, vacuatione, & alexipharmacis, quamuis nihil efficiat, tamen ad alia non se cõuertat, dum manet quod ab initio visum fuit.

CAPVT XXVIII.

ULTIMA INDICATIO,
AB INFLUXV SIDERV M,
& de superstitiona curatione, & de
ea qua fit apotropais.

ULTIMA indicatio ducitur à viribus quæ ex siderum zyzygiis ad nos dimanant. Sidera non sùsque deque (quod vulgus astrologorum putat) omnibus æquali vi suo influxu annuunt, aut infenso lumine nocent: sed natalis cuiusq. genius, eorum filo variè trahitur. Istud à nobis lucidè demonstratum fuit, capite huius libri nono, vbi de Tempore secundæ venæ. & Galenus doctè id, libris de Diebus decretoriis: quos, septimo Aphorismorum, trigesimo octauo, & quarto aphorismorum, vigesimo nono, & trigesimo septimo suos agnoscit. Lunæ motus maximè in corporis rebus notandus: nam in has efficax est, inquit Ptolemæus, * πειρὲς πε-
εγγεῖσθαι, ἢ τὸ ἴδιον ἀναθυμιάται.
sed pro eo cæli posita, quo quis natus est, eius vis cuique accommodatur. Quin & certo sidere remedia variè animari putauit antiquitas:

Luna vii.
* Ob vicini-
tatem
terra, &
vaporum.

Affici re-
media à
sidere.

ita prodidit Galenus, suum præceptorem Æschrionē cancos, æneo vase exceptos, vrere solere, lunâ decimâ octauâ, postquam cum Sole (Leonem peragrâte) ortus esset Sirius: vnde præcellens vis emicabat in hoc medicamine, cum quis morsus esse à cane rabido. Ita viscum quernum colligunt, ad comitalem morbum arcendum, Ioue Cancri sub signo versante. Lunâ Soli iuncta asplenium effossum, infæcundas reddere scribit Dioscorides. plurima eiusmodi Trallianus, & Marcellus empiricus. Nonnulli hîc extra lineam excurrere videntur, cum existimât se programma- ta siderum gemmis & metallis insculpere posse. Hæc opinio, ex eo Ptolemæi libello qui ὁ χαρακὲς inscribitur, nata mihi videtur: vbi ad nonum aphorismum affirmat Haly, secreta imaginum aperire Ptolemæum: nam, inquit, innuit peculiaris rerum inferarum formas, σωμα-
κειώσας à peculiariter cælitus sibi dicatis formis moueri. sic cælo hærens Scorpius, in nostros hic ius naturæ exercet: vt in serpentes, serpēs. Hinc imaginum magicarum studiosi, lapide formam suis negociis studentem cælabant, cum iam iam planeta è radiis Solis emicans, ad hanc cælestis sideris formam proficiscebatur: Tantam vim imbibebant, vt quodlibet negocium his, vel promouere vel inhibere possint. Quin ipse vidi satellitem Romanū geometriæ gnarum, qui, cum diu habitasset Ægyptum, ex Christiano Saracenis euasit, temporibus regis Camorchæ: hic (mirum) sponte mobiles imagines fabricabatur.

Sigilla,
& signa
cula.

Euepit,

Euenit, cùm apud satellitem essem, quòd obnixè eiulantē armigerum suū audiremus: ex ictu enim scorpij grauitèr dolebat. hic meus ille satelles in certam antidotum quid porrexit, vt id potaret: id gerebat characterem scorpij, & thus olebat: quo hausto, ilico euauit dolor. Hic ego, quidnam id esset, quòd tam commodam & salutarem pressisset formam? ilico aureum obtulit anulum, qui emblemata gerebat lapidis Bezaar, cui insculpta erat imago scorpij. Rogabam, quanam hora hanc sculpsisset: respondit, Lunâ in Scorpione versante, cùm angulum centrumque cæli attigisset, tuncque olibanum mastice imbutū se pressisse affirmabat. quin aliis rebus iniusta hæc idea æquè ac si thuri, hanc efficaciam exercebat. De his scripsit Thebit, & Albertus libro secundo animalium, tractatu tertio, capite primo, & tertio. Eudemus philosophus confecit annulos contra morbos & fascinationes. vnde Iosephus gloriatur, se, præsentè Vespasiano Cæsare, vidisse Eleazarū Hebræū, qui cùm cuidam dæmonomaniâ fatigato anulum admouisset, dæmonem è naribus extraxit. Hoc à superstitione non longè abesse existimo: proximè enim ad characteres accedit. **SUPERSTITIOSA** medicatio nusquam apud veram Medicinam habitare debet, quæ nihil aliud, quàm noctuæ quædam diaboli, ad aucupia animarum, at medicina verè **DEI** optimi maximi donum est, ad solatium humanæ vitæ: quâ homo ad creatoris sui spectandam bonitatem, eiusque de se sollicitudinem notandam duci-

tur: qui tam polydædalâ medelarum varietate, calamitatibus humanæ naturæ cautum esse voluit. Non ignorât doctissimi quidâ viri, cùm signaculis & carminibus current, non inde dimanare vires, sed maximè ex persuasionè. At ea per-

Suada.

suasio à contemplatione operû dei abducit, & fastidire discit creatas ab omnipotente **DEO** vires, ascribitque potentias rebus, quæ his inditæ non sunt à summo numine, naturâ, nec arte. quare his facile miscet suum virus mendacij auctor. Memini me legere apud medicum pragmaticum fidum, vetulam quandam obnixè ex dentibus laborasse, quæ cùm periapton remedium anxie exigeret à medicinæ studioso, cumque is quid ageret nesciret, quò anus tædia declinaret, cōscripsit chartulam, quam, implicitam sindoni, collo eius appendit, mirum, ilico cessit dolor. Hæc, deprehensâ salutari chartulæ vi, vbiuis, vbi in querela dentes erāt, hanc admouit nō sine successu. cumque tandem in hominem minimè superstitiosum incidisset, ab eo chartulâ explicatâ, hæc lecta sententia, planè electa, Diabolus tibi rumpat collum. Quid quæso hæc sententia in imaginationem, aut corpus feliciter agere aut ingerere potest! Religiosam medicinam vult Deus, & se in ea agnosci & coli cupit. Scribitur in commentariis Græcorum, Ezechiam regem Iudæ, librū Salomonis De medēdis morbis omnis generis, qui in tēplo asseruatus fuerat, remouisse: quòd ægri ex hoc potius morborum medelas, quàm à Deo precibus peterent. Fuit sine

Historia.

dubio in eo libro præclara scientia rerum naturalium, cum Salomonis sapientia summa fuerit: attamen ob neglectum Dei, cedere eum voluit Ezechias, quod in corruptelam eius usus abiret. cum enim *πᾶν τὸ φυσικὸν σαυμασδὺν* sit, ut ait Aristoteles, hoc ipso ad Deum duci debet animi, qui hoc studio quasi mollescunt ad pietatem. Attamen plurima in naturæ sinu abdita latent, sensibus humanis vix peruia, quæ, quamuis ob nostram ignorantiam aliena à ratione & superstitiosa videantur (cum causæ nos fugiant) ab eo tamen crimine aliena sunt. Legimus de Q. Fabio Maximo, quod multis hostium cæsis, à quartana febre liber euaserit. vnde quidam veterum superstitiosè existimarunt, Quartanam solis pollutionibus curari: in hac sententia fuit Democritus. Sed hoc, sine dubio, euenit Fabio ex subito gaudio, mollito fusoque squalido succo ac facie quartanæ; & minimè ex pollutione. eodem modo puto persuasionem per se, non fiducia aut credulitate quid posse, sed, in naturis emollitis ac tenellulis, subitum spirituû ac animorum motum inferre, vnde vario fluctu rapitur sanguis, ac vnâ morbificas causas partibus quæ in querela erant eripit, vnde mitescit malum. hinc, nulla superstitio: nisi superstitiosi homines eam facerent, dum effectus alienis causis tribuunt. Ita in illis rebus quæ appenduntur (periapta vocant) non rarò latitat quædam occultior facultas, quæ incalescens à corporis contactu, atomos ac miasmata & effluuia nobis nescientibus effundunt, & infundunt no-

bis, hausta ore & cute, efficaci morborum antidoto. His lubèter olim utebantur doctissimi medici, cum inuictum foret malum alterantibus & purgantibus: nam inest quibusdam rebus congenita inter se consortij aut dissidij proprietas, quæ citra visibilem tactum sese alterant, ut succinû paleas amplectitur, magnes ferrum. Scribunt quidam in Austria inuentos esse gemellos, qui obiectis ad ianuas lateribus, seras aperiebant. Multa talia ab Orphæo, Theophrasto ac Proclo tradita, qui auctores sunt præclare hanc occultam vim micare in lapidibus. Passim talia Dioscorides, ut de araneo, de vermiculis in dipsaci capitellis, de pede leporis herba, de circij, & plantaginis, & lepidij radicibus: de anagiri, asplenio, asparagis, agnoscato, onosmate. scitent his medicis Dioscorides & Plinius, Trallianus, Aëtius, Chyrannus, Rhases, Theodorus Priscianus qui sub nomine Quinti Horatiani in lucem prodiit, Marcellus Empiricus, Costaben Luca apud Hebræos, Gordonius.

Galenus pœoniæ appensæ potentiam nobilitauit: & fila quæ vipera strangulata fuit: quin sterces lupinum appensum colicis remedio esse scripsit: celebrat ab hac via spidem, omphatiten, hieraciten & indicum. Ita vtimur iecore lupi, ericij corde, & pulmone vulpis, osse cordis cerui, hirundinibus, ranis, hepate capræ, visco, cranio humano, cuculi carne, milui iecore, ventriculo gallinæ, troglodyte auicula.

Plurima talia Trallianus ad epilepsiam arcendam, & colicum ad dolorem,

*visua-
da.*

*Periapta
naturalia.*

*Libri
simplicium.*

dolorem, & podagricū cruciatum talibus arcet, febresque cottidianas & quartanas hac arte curat, ita calculorum tyrannidem mitigat.

Aëtitem & galactitem lapides celebrat Aëtius: & vbi de venere, & de hydrophobia. nos vsu notauimus anguis exuias, ventris muliebri cum aegrè parit admotas, ilico fœtū præcipitare: an quia muscum olēt? Hæc causam in natura agnoscunt: & propterea à superstitione vindicanda. At superstitio ex medico theatro & totâ naturâ excutienda. Constat hæc minimè religiosa curatio, ex characteribus, amuletis, & carminibus. Characteres & amuleta sunt temerè quædã pictæ imagines, nullâ naturæ vi dotatae, tales fuere Ephesiæ literæ, quas scribit Anaxilas, apud Athenæum, quendam in consutis scutariis, id est minutis coriis habuisse, felicitatem promittentes. credo effictas ad mouendum & concutiendum imbellium hominum spiritus: qui vel abracadabra terribiles voces, asteriscos, cruces, & empusarum mormones mirantur. Clarissimus ille dux Græciæ Pericles, in magna illa peste Atheniensium, cum ab ea luctatus sensim extabesceret, morbusq. vim animi superaret, inquit Plutarchus, amico, qui visendi gratia eū accesserat, incantationes quasdam pendentes collo à mulieribus alligatas ostendit: argumento, inquit, animum tunc in eò agrotasse, dum eiusmodi insanias ferret ille vir, qui tantâ prudentiâ rempublicam habuit, vt nullus propter eum nigram vestē induerit vnquã. causam eius calamitatis reddit Theo-

phrastus, quia mores acti corporis doloribus, à virtute fortè desciscūt. Quare Antonius Caracalla, teste Spartiano, damnauit qui cōtra tertianas & quartanas amuleta gestabant. Quid verbis & carminibus, his præcellentius tribuam, non habeo: si quid, id, ex imaginatione, variè affectis motisq. spiritibus, nasci puto. quanta enim vis sit horum motuum, videmus in his, quos vulnus inspicientes animus reliquit: alij narrationibus tragicis, motis spiritibus & sanguine, in lipothymiam abripiuntur. Vidi viros fortissimos, quibus cum vena aperienda esset, eâ nõdum tactâ, defecisse: apertam autè in his, nihil sanguinis effudisse; aliò raptò spiritu & cruore, imaginis conceptæ potentiâ. contrâ, quibusdã læsis sisti sanguis ob motus animi nequit. quibusdam præsens pharmacū alium soluit, non aliter ac metus; ad centrum corporis auersis succis & spiritibus. cur subitus timor singulum placat? Itaque si quid carmen per se potest, à motu spirituum & sanguinis esse credidero. Quid enim possunt verba dicta, scripta, aut cogitatione concepta? ex obscura schola hæc lenocinia verborum profecta esse, consentaneum est: Sunt enim verba, voces effictæ ad rem aliquam significandam; hæc propria verba sunt: qualia illa quæ apud Varronem primigenia nuncupantur: vt illa quæ magnus ille dialecticus, apud Platonem in Cratylo, inuenit. Quæ, summus philosophus non quidem naturaliter facta, (sic enim eadem essent apud omnes gentes) sed fabricata esse existima-

Carmina.
& verba.

Quibus
constet
supersti-
tiosa Cu-
ratio.

Characte-
res.

*Magia.**Goëtia.**Elicium
Iupiter.*

existimauit. Quare morbi carminibus arceri nequeunt: sed planè ethnicum est, credere verba vel characteres vim arcanam ex se habere: si quid habet virium, id aliunde mutuari videntur; sceleratæ enim ac nefandæ Magiæ, murmur illud, æmulum esse videtur. Erat enim apud veteres horridæ Magiæ quædam species, quæ carminibus peragebatur, quibus inuocabant dæmones malos, miscebant sacrificia cruenta (nā sanguis humanus dæmonū philtum, vt innuit Homerus vbi de Elpenoris anima,) & verba cōiuratoria, additis quibusdam suffumigiis lapidum & herbarum: quin Dæmones (horrendum commercium) his in colloquium euocabant: dicitur Goëtia. Simulabat astutus Dæmon, ac persuadebat se his sacrilegiis cogi in alloquia & officia. Sed astutè ab illo factū; impiè ac frustra à mortalibus: non enim his cogitur Dæmon malus, sed delectatur; vt pulchrè id demonstraui Hippocrates, de arte. Itaq. quarum artium ac naturarum instrumentis pares esse nō possumus, earum artifices nunquam euadere nos potis est; non igitur Magia ars, quod eius instrumentum Dæmon, in nostra potestate non sit: imò ille potiùs miseris illis mortalibus vtitur pro instrumento, & sibi artem facit, latrocinium. Quare iterū dico, Dæmonomagiam ex se, à verbis & characteribus nullam potentiam sortiri: est enim gentis à Deo auersæ superstitio. Gentiles existimabāt se posse conceptis verbis Iouem de cælo trahere, vel saltem elicere: propterea eum Elicium nominarunt:

vt nunc qui adiuratis formulis, & benedictionibus, schedisq. appensis curare se morbos existimāt. Sed interdum infeliciter illiciū hoc illis ex pellace Ioue euenit. Tullius Hostilius rex ex Numæ libris, eodem, quo ille, sacrificio Iouem cælo deuocare conatus, fulmine ictus, cum domo deflagrauit. Ante omnia tamen solitum erat in oppugnationibus, à Romanis sacerdotibus eius oppugnandi oppidi euocari Deum, cuius in tutela illud oppidum esset: promittiq. illi eundem, aut amplio rem locū apud Romanos. Ideo occultarunt in cuius Dei tutela Roma esset: ne qui hostium simili modo agerent. Vnde quidā existimant Robur vel Victoriā propriū nomen vrbi fuisse: Romam, fictitium: ad celandum numen. Hæc Goëtia peragebantur incesta. Cōtigit olim mihi talis liber, ex Noruegia magnā curā allatus, qui titulum Abelis Iusti filij Adā ferebat. cū impietatem viderem, Vulcano hoc sacrum feci. Quam horrenda tractet hæc Dæmonomania, planè aperit Heliodorus libro sexto, ibi enim nisi carmina defunt. Hæc Goëtia cū circa sepulchra perageretur, Necromantiæ nomen sortiebatur. Fuit tamen alia longè ab hac diuersa quædam Magia apud Ægyptios, inquit Calasiris apud Heliodorum, quæ reuera est sapientia: à qua adulterina illa degenerauit; astrorum motus inquirens; & omnia ad honestatem, commodumq. humanæ gentis accommodās studia. hæc si verè, venusta illa philosophia fuit. at Galenus De simplici medicina sexto, incantationibus vsos fuisse

*Necromantia.**Magia
Ægypti.*

Theurgia. fuisse ait sacerdotes, dum radices herbarum effoderent. Altera quædam illiberalis Magiæ species erat, dicta Theurgia, quæ fit per sancta nomina, & preces bonorum angelorum: dicitur Imprecatio. Rectè de his Jeremias, Nunquid resina non est in Gabaad, aut medicus non est ibi? Mirum, hoc scelus utramque gentem, & Hebræam & Gentilem incurrisse. Hebræa effusa in hæc flagitia fuit: etenim sacerrimâ quadam umbrâ hanc gentem inuasit. sacratiorem namque interpretatione legis Moisaicæ Cabalam dixerunt, quam cælitus Moyse apertam affirmabant: attamen litteris non inuulgarunt; sed per manus tradebant nō minoribus quadraginta annis. Tandem Esdras veritus ne seditionibus, cædibus, & captiuitatibus hæc traditio intercideret, ex septuaginta senum sententia hæc in septuaginta volumina digessit, quam Cabalam dixerunt. Hæc de diuinitate ac intelligentiis angelicis ineffabilem sapientiam continebant, & rerum naturalium exactam cognitionem complectebantur. Hanc iuniores postea cōspurcarunt Goëtia. Eingeant enim sibi explorata esse arcana Dei, & spirituum nomina, quibus dæmones cogerent: Sed erant ex Ægypto allatæ incantationes, sacrilegio maximo diuinis verbis aspersæ. In Ægypto hanc Goëtiam didicerant, à sacerdotibus dæmonum cultoribus: talis fuit vltima Cabala apud Hebræos, cuius adhuc iā vestigia restibilia sunt; dum sortilegio sanctis litteris, & sacris nominibus abutuntur. Ethnicorum

autem Magia orta est ex medicina, astrologiâ, & dæmonum cultu. à Persis Magi dicebantur Sophi: ab Indis, Brachmani: Gallis, Druides: Græcis & Ægyptiis mystæ & propheta, sacrorum antistites. Huius Magiæ documenta auctoribus nōcumenta esse Nero Cæsar etiam didicit, qui maximas effudit opes ut hæc disceret artē: sed falsam expertus, postremò repudiauit. Si quid veritatis & utilitatis hæc res haberet, profectò libri Numæ Pompilij non fuissent prudentissimi Senatus Romani decreto in foro combusti; extarent scripta Democriti, Pythagoræ, Ægyptiorum sacerdotum, Zoroastri, Hostanis Proconesij, Dardani, & Druidum. Attamen hæc Dæmonum ludibria olim quid ponderis habuisse non negamus: maxime ea Magiæ species quæ ἐπωδὴ ab ethnicis dicitur; quæ salutari specie in medicinam irrepit. Inter tres enim curationis species adhibitas per Chironem morbis, incantationem numerat Pindarus, dum ait:

ἔπιδοξίς μὲν μαλακίς, ἔπιδοξίς αἰμώπρον, τὴν δ' ἄρ' ἄρα πύθωνος, ἢ γυίοις ἀειάπων πάντοθεν φάρμακα, τὴν δ' τομαίς ἔσασεν ἔρθεις.

hoc est, quosdam mollibus incantationibus tractans; quosdam vero lenia bibentes, aut mēbris circumponens vndique pharmaça, quosdam autem sectione stare fecit reotos. Homerus decimonono Odyssearum, dixit, cum Vlysses comitatus Autolyce filius in Parnasso monte venationem exerceret, ab apro vulnerato femine, ita ut magna pars carnis obliquo dente extraxisset

Ethnicorum.
Magia.

Olim efficacissima.

Pythias,
ods 3.
Strophe 3.

set illi aper, profluentia sanguinis
carmine Autolyce filij inhibuere.

ἐπ' αὐτοῦ δ' αἷμα κεκαυτὸν

ἔχετον. hoc est; carmine atrū san-
guinem inhibuerunt. vnde hæc cu-
ratio quæ carmine & verbis fieret,
Homericæ olim dicta fuit. Apud
Romanos, Tuccia vestalis vt ince-
stæ crimen fugeret, vsa precatio-
ne, aquam in cribro tulit. Vestales no-
stras hodie credimus, inquit Pli-
nius, nondum egressa vrbe manci-
pia fugitiua retinere in loco preca-
tione. Theophrastus ischiadicos
carmine sanari affirmat. Cato pro-
didit luxatis membris carnem auxi-
liari, Marcus Varro podagris. Cæ-
sar carmine ter repetito securitatem
itinerum aucupari solitus erat. Car-
mina nouit antiquitas contra gran-
dines, contraque ambusta. Hos dæ-
monum lusus olim quid efficacia
habuisse inficiator non sum; sed ab
inficiali auctore profecta credo, at
omnis potestas illi à Iesu Christo
adempta, qui captiuus nobis liber-
tatem attulit. Attamen aliquid car-
mini, suauibus vocibus, & modula-
tionibus dabimus: quod interna
animorum seditio his sedatur; san-
guisq. qui aliò quò nō decet viam
affectat, blandâ compellatione ac
precatioe mulcetur, & sedatione
sistitur: quod irâ percitis cottidie
euenire videmus. Idcirco Damon
musicus cum esset apud tibicinam
Phrygium modulante, ebriis qui-
busdam adolescentibus insana quæ-
dam peragentibus, Doricum cani-
tussit: illi statim à motu insulto ces-
sarunt. quia affectibus obnoxia pars
animæ irrationalis, excitatur miti-
gaturque motibus irrationalibus.

ASTV quæ fit curatio, interdum
non minus valet totâ magiâ, est
enim instar stratagematis in medi-
cina. Quidam animam se affirma-
bat, ob idq. omnem cibum refor-
midabat, quod animas edere nega-
ret. tandem à fideli medico parata
mensa, mediâ nocte à nudis fari-
naque oblitis hominibus cubili il-
lata, summo silentio accubuerunt. ro-
gat ille quid agerēt: obmurmurans
quidam respondit, esitare. mox ille,
quæ gens? animæ. at animæ edones
non sunt. respondet alter, Nostro,
& non humano more edimus. hic
exiliens lecto, Et ego anima, inquit,
fruat vni vestris epulis: assedit, co-
medit, à morbo euasit. Alter cum
existimaret tam vastum se nasum
gerere, vt nullæ portæ illi peruiæ
essent, huic dormienti, sagax medi-
cus longanorem bouis, sanguinis
plenum, naso nexuit: cumq. à som-
no de ingenti naso querela illi esset,
rogat medicus, num amputare li-
ceret nasum: manibus porrectis
hoc officium ab eo efflagitat: scin-
dit medicus longanorem, & forti
pressione exprimit cruorem in ocu-
los agri, & longanorem abiicit. hic,
falsa imagine excussa, à morbo li-
beratus fuit. quidam cum sine ca-
pite viuere se existimabat, plum-
bum impositum morbum ademit.
Mulier ranas se ventre gestare per-
suasa, purgatione postquam effusa
eius alius fuisset, clam ranæ excre-
mentis illata, morbum excussere.
Ita his temporibus, quidam homi-
nibus melancholicis, fascino affla-
tos esse persuadent, & aquæ lustra-
tione sanant, & lustrati redeunt.

OBSERVATIO PRAGMATICA.

Qui in medicina facienda versantur, hoc filo ferè eam ducunt, primò diætam naturæ studentem & cum morbo pugnantem instituant. Secundò, alium vel clysmo, vel lenientibus remediis eluunt. Tertio, sanguis si emittendus, venam aperiunt. Quarto, miti pharmaco accidunt morbificæ materiæ copiã, vt apozemate. Quintò, contumaciorem materiã parant & coquant, vt mitescat ad exclusionem. Sextò, validè purgant. Septimò, reuellunt: mictoria & sudorifica præscribunt, frictions, cucurbitulas. Octauò, deriuant ad vicina. Nonò, fouent partem, vel rubedinem aut cauteria inurunt; quò eximant continentem morbi causam. Decimò, reliquias morbi exhauriunt, & robur inferunt parti afflictæ. Undecimò, latiore victu vires recreant.

CAPVT XXIX.

EXERCITATIO METHODI PER DVOS VEL TRES MORBOS: quò eius eluceat vsus.

EXORDIUM fit ab intemperie cerebri. Notabimus naturam affectus, partis, & virium robur. Affectus hic est intemperies: quare indagabimus, num ea sit simplex, vel composita. Si simplex, vt calida, vel frigida, ducta indicatione ab affectu (nam illa indicat remedij genus) admonebimur contrario remedio proffigandam esse hanc intemperiem: quare si calida, refrigeranda; si frigida, calfacièda. Sed indicatione sumpta à parte agra, ca-

pite, quia pars princeps, modestis medicaminibus illud agendum. Quod si æstas fuerit, in morbo feruido crescat vis frigidi remedij: si iuuenis validus, si frigidis assuetus, si temperies natiua & ascititia totius & capitis frigida fuerit (quia longè, cum ex calore iam laborer, extra moderationis lineam abiit) validiùs erit refrigerandum. Si vir, yberiozem refrigeratione sustinebit. si piscator (quia arte in frigidâ eius vita) grauiorem vim frigoris exiget; quia longiùs à natura abiit. Si iam iam inierit morbus, strenuò agendum. Si autem non mera intemperies vitium fecerit, sed si materia vnà sese sociarit, tunc quia est affectus implicitus, ordo medendi erit examinandus, vt docuimus in prima indicatione: nã intemperies alteranda est, & materia vacuanda. Diximus, cum morbus causæ iungitur, hæc primùm: dein genitus affectus erit debellandus. Iungat igitur se succus, sit corpus succis rigatum, & vnà dolor capiti bellum moueat. Si doloris immanitas vigiliarum & inediæ auctor fiat (indicatione ducta ab vrgentibus viribus) placandus erit, neglecto morbo. quare drachmis duabus olei violati, rosati, vel papaueris, opij grana duo miscebimus, cum tantundem croci: fronti, naribus, & auribus inferemus. Hoc discrimine (foris & intus datis & admotis remedijs) sopito, ad affectum veniemus. Materia præter naturã adest, igitur vacuandum. cum autem in implicitis affectibus à causarum amotione proficisci debet curatio: igitur explorandũ, num adsit ma-

Compositus affectus.

teria tantum in capite coaceruata, vel num aliunde etiam eò viam affectat. Coaceruata, preparanda & purganda. Si aliunde influat, eò se vertet à toto corpore, aut à parte aliqua relegabitur: vt si pars quaedam alia in querela fuit antequam caput laboraret. Hinc variæ surgēt notiones medendi: nam vt fluxa materia indicat sui euacuationem, ita influxura postulat auersionem: vt dictum in indicatione de causa. Itaque cum causa antecedens quæ influit, externa, & continens implicatur, primum remotâ externâ, ad excidium antecedentis pergemus. Hæc autem quia præter naturæ legem fluit, (siue à toto, siue à parte) indicatio orietur auertendam esse ad partem oppositam: quò pars ægra, caput, minimè ab ea incurrat. hoc autem fiet Reuulsione. At vnde sciemus (cum variis peragatur Reuulsio) quo instrumento hoc assequemur? accuratè explorandus erit affectus: nam is remedij genus indigitat. Itaq. materia erit notanda quæ est causa antecedens. nam si sanguinea fuerit, venâ sectâ ritè fiet Reuulsio. Sed vt vena commodè secetur, diximus, obseruandum esse affectum (vt hic materiam) locum, & circumstantias. Locus, hoc est vena secanda, quia totum (vbi à totius vitio est) inanire volumus, erit vena basilica. Circumstantiæ ad virtutem pertinent, si fuerit non senex, non puer. A motâ causâ antecedente, propiùs ad causam continentem remedia flectemus: & secabimus venam exteriorè brachij: hinc frontis & narium venas recludemus. Sin materia morbifica à

sanguine aliena pituitescat, quia præter naturâ, euacuanda. Verum hoc commodè nō fit, ni primò pareretur ad exclusionem incidentibus, attenuantibus, abstergentibus. hæc autem talia esse debent, quæ caput feriant: vt, satireiæ, euphragiæ, betonica, singuli manipuli: maioranæ, chamæmeli, cuiusque pugillus: seminis fœniculi, radicum enulæ, acori, singulorum drachmæ duæ: coque ex aqua ad sesquilibram: colaturæ adde syrupi betonica, stæchados, oxymelitis, singulas sescuncias. sumat bis die. Parata materia purgetur phlegmaphygis, vt agarico, pilulis cocciis. Ablata itaq. causa antecedente, ad continentem nos vertemus. illa vel loco moueri poterit, vel mouēdi erit beneficio spoliata. si loco dimoueri poterit, vtemur deriuatione: & quia in capite, masticatoriis, gargarismis, sternutatione, foru ex chamæmelis, meliloto, lilio, saluiâ, betonicâ. si immota materia ac infixâ restagnarit, hæc trahemus emplastro de meliloto, euphorbio, phœnigmis, sinapismis. Tandem robur afflabimus capiti; propinabimus castoriū ex hydromelite, dabimus saluiæ & roris-marini conseruas, theriacam, mythridatium: foris illinemus oleo castorei & lauendulæ. Ita ad morbum venimus accîsa causa. Quod si autem intemperiei cerebri causa antecedens fuerit **B I L I S**, orietur indicatio eam excludendi: quia præter naturam est. quia autem qualitate ille succus in vitio est, purgatione erit abiicienda. id vt conuenienter fiat, notabimus quid, quantum, quando, quo modo purgandum

dum sit, & circumstantias. quid? bilis; igitur cholagogo pharmaco opus est. quâ copiâ exhaurienda? ut vbertas bilis fuerit, & ut eius est situs: nam suum domicilium interdum habet in prima aluo, aliâs in genus venosum, aut habitum recessit. quando? iam, si turget, ac furit: sin minùs, præparata decoctis, quæ eius ferociam domant. quo modo purganda? id indicat locus affectus, à quo vnâ reuellemus; per aluum: ita à supernis partibus auertemus influxû. Virtus est inter circumstantias: quæ si valida fuerit, & morbifica materia si pauca, confertim vnoque impetu excludetur. Deinde veniemus ad amotionem causæ coniunctæ, quæ bilis est capite concepta. si loco mobilis fuerit, repulsione & deriuatione eam euacuabimus. Iuungemus caput, nares, aures oleo nenupharino in quo cucurbita decocta fuit; aut naribus trahemus violaceum oleum, vel oxyrrhodinon fronti & temporibus admouebimus: sed quia vigiliæ molestæ sunt, loco aceti immittemus succum citriorû maturorum: vel vnguentum rosatum illinemus: vel fofus inferemus cum spongia, ex aqua rosata cum pauco aceto: Et apophlegmatismis educetur, ut caricarum pinguium, masticis, ceræ, singulæ binæ drachmæ; misce, fiat masticatorium. Tandem ad intemperie capiti impressam veniemus, & simul robur afflabimus. dabimus conseruam rosatam, & violatam cum santalis & margaritis. Sed semper notabimus num hæc enumerata remedia ab affectu nata, pars ægra (quæ hic est caput) ad-

mittat. In parte morbo affecta consideratur temperamentû, vsus, sensus, situs & connexio. ab vsu, cerebrum est pars princeps; quare non frigidorum perpetuo incursum fatigandum: propterea vbi deuentum fuit ad exhaustionem causæ continentis, in fofu aquæ rosatæ non diu perseuerandum: sed ex decocto althææ, chamæmeli, meliloti tandem euacuetur influxa materia. Dein videndum num hæc remedia concedant vires, aër, ætas, consuetudo, sexus, vitæ genus, morbi decursus & tempus, paroxysmus, & an nullum vitium sit in electo iâ remedio.

Monstrauimus quo modo tractari debet morbus in intemperie positus: superest vt morbum proponamus in mala compositione, cuius hyperæxia in obstructione consistit. Dicemus de Apoplexia, quæ Latinis Sideratio; veteres enim fulmen sidus esse putabant. Cælius Aurelianus inquit, Apoplexia dicta est, quod tanquam ex lethali percussu, repentinum faciat casum; ἀπλήρω illido. Attonitus morbis quibusdâ vocatur, quia mens stupet & corpus, tempore Celsi nuncupabatur παράλυσις. Hæc fit ab angustia ventriculorum & pororum cerebri, vt docuit Galenus quarto De locis affectis, capite secundo: vbi affirmat, hoc eam differre ab epilepsia: nam dicit, quamuis in vtroque affectu cerebrum totum laedatur, tamen in epilepsia magis ventres afficiuntur. at Apoplexiæ hyperæxia consistit in mala compositione: igitur, pori cerebri necessariò obstruentur, & crimen agnoscent neruorû initia. Est igitur Apoplexia

Apoplexia.

Definitio.

Causa. priuatio sensus & motus totius corporis, eò quòd prohibeatur spiritus animalis exitu, ab oppressione vel obstructione ventriculorù & corporis cerebri. *Compressio.* Compressio illa oritur à sanguinis nimia copia: cum venæ & arteriæ distentæ premunt poros, ita vt spiritus exitu prohibeantur à cerebro, & hæc est illa φλεγμονώδης διάθεσις Galeni, quâ, angustius redditur cerebrum, & quædam tensio hinc surgit phlegmones æmula. Phlegmone est à sanguine qui imbibitur, & aluos mēbri ingreditur: hoc non fit hîc, sed pori cerebri opprimuntur; nam pressioni cedunt: est igitur affectus similis inflammationi. comprimuntur & pori ex inflammatione, vt à phrenitide, & lethargo. vel sanguine refertis iugularibus venis & carotidibus arteriis (vt in iis euenit qui breui sunt ceruice) spiritus (vnde fabricantur animales) vitalis aditu prohibetur ad cerebrum. sed hæc est per sympathiam, & debilis: quia vbi per idiopathiam est, consistit vitium in iis meatibus qui descendunt à cerebro: qui sunt nerui, ventriculi, radix medullæ spinæ. vbi per sympathiam, vitium consistit in meatibus qui ascendunt ad cerebrum; vt in carotidibus, & iugularibus: quare non exitu, sed aditu prohibetur à cerebro spiritus. *Obstructio.* Vel est obstructio auctor quo minus meabiles sint viæ, eius causam agnoscit Hippocrates vnâ, omnem crassiorē succum, siue fuerit pituita, melancholia, sanguis crassus, aut grumosus concretus, vel multus: & in libello De flatibus addit, flatus vasa obstructentes. Plerumq. tamē à pituita

est: interdum & melancholia; nam propterea scripsit Hippocrates; eâ percelli quadragenarios, dum sexagenarij euaserint. Cum itaque hoc symptoma, sit sensus & motus priuatio, remoueri non poterit nisi morbus & causa accidatur. cumque morbus sit obstructio (indicatione inita ab affectu) indicatur apertione opus esse. Verum priusquam id fieri possit, notandū num illa obstructio iam plenè facta sit, vel num adhuc fiat: quia facta, simplicem indicabit apertionem: sin adhuc fiat, admonebimur vt aperiamus eâ quæ facta est, & vt prohibeamus futuram. prohibemus, dum reuellimus causam quæ obstructionem inferret. Sed symptomata hîc sunt tam valida, vt totam curam ad se rapiant: nam intercipitur respiratio; & hinc in procinctu periculum est. Vrgens itaque symptoma primò curari debet, deinde causa morbi. at symptomata curari nequeunt, ni subducatur primū causa cōiuncta, quæ hîc angustiam adfert. Quare tantum de causa abscindemus antecedente, quantum satis sit ad mouendam vel saltem concutiendam causam cōiunctam morbo: nam ob symptomatū magnitudinem homo interiret, priusquam totam antecedentē causam exemisset medicatio: sed remoto paroxysmo, eò veniendum. Optimum tamen remediū foret, quod, vnâ ad exclusionem causæ antecedentis, & amotionem coniunctæ faceret. Sed prognosis interponenda. Summum hoc est malum: nam magnitudo causæ coniuncta cum pari symptomatū venementia, nec cedit

cedit remediis, nec dat inducias, vt remedia adhiberi possint: respiratio enim tollitur, quâ vita ad punctum temporis carere nequit. Propterea scripsit Hippocrates, fortem apoplexiam non solui; ob symptomatum repente incidentium vim funestam: hæc enim per idiosyncrasmiam est. at inquit, debilem nec tam vehementibus comitatâ symptomatibus, quæ in vitio consistit meatuû ad cerebrum viam affectantium, cum aditu ad cerebrum prohibetur vitalis spiritus, nõ est facile soluere: nam animalis spiritus vitali destituitur, in quo eius prædiû est; quare eius penuriâ tabescit. omnis apoplexia est vehemens. nam ubique est longus à natura abitus: sed per debile intelligimus minùs vehementem. Quam excipit phrenitis vel lethargus, calamitosa est. Quæ ab affectu euenit inflammatorio, curari potest. ægriùs curatur quæ à pituita; ægerrimè quæ à melancholia: nã est contumax obstructio cerebri. Si debili Apoplexiæ (quæ fit per sympathiam) febris superuenerit talis & tâta qua opus est, quæ magnitudine vires nõ soluat: nec minor quàm quæ attenuet, & resoluat succos & flatus, quod fit tribus quatuorve diebus; non enim vltra septimum excurrere eam decet. Spuma ori si insederit, lethale: quia in apoplecticis spuma, est genuina humiditas pulmonû, vi expressa. Senex, inquit Aretæus, non liberatur, & morbi magnitudine, & ætatis miseria oppressus. Feminas difficiliùs curari affirmat Cælius Aurelianus: nam oppressionibus superantur. Si non sternutet à ster-

nutatoriis, lethale: resoluti enim cerebri nota. Cruenta vrina, calamitosa: resolutâ vi retêrice venarum. Si curationis aliqua spes affulserit, ea ilico amplectêda. Si fuerit Apoplexia sanguinea, quia partes solidæ & humidæ sunt integræ, & spiritus nõ ab exhausto sed oppressione laborant, pertundatur vena: quò motâ materiâ obstructio liberetur. Celsus inquit, sanguinis detractio vel occidit vel liberat. aliud curationis genus, ait, vix vnquam sanitatem restituit, sæpè mortem tantùm differt. Sed qua copia emittemus? id notabit habitus & ætas, inquit Hippocrates. repetitis vicibus; id nec vires atterit, & morbificam materiam mouet: & si egelari & recreari videbitur, argumento nobis erit repetendæ euacuationis: magna enim (in copia) opus est cautione; nam dicit Aretæus, si paulò plus detraxeris, hominem strangulasti, nam prædium vitæ his sanguis est: sin minus detraxeris quàm causa postulat, nihil magni cõtuleris: adhuc enim causa manet. Sed præstat minus detrahêdo delinquere; nam si leuari videtur æger, repeti poterit, monuit Aëtius vt in euacuatione notentur pulsus, facies, respiratio: ne soluamus vires, & calorem extinguamus. Quo tempore? in accessione: est paroxysmus qui pessundat: nec potest sopita facultas excitari nisi primùm deponatur onus. à clystere, cum meliùs spirat. Quæ venæ secandæ? cephalicæ, inquit Rhases, & colli venæ iugulares; & apoplecticæ venæ post aures aperiuntur. Vel toto euacuato per mediam venam, seca frontis venam, & setis

Curatione.

Et Pau-

lus 3.18.

Galen. in

Isagoge.

Acut. 3.

3.9.

A. acut. 15

Causa
somnientia
morosa.

& fetis recludantur narium venula. Hæc vsum habent, inquit Rases, vbi cruenta apparet facies, vt in his in quibus vinculis strictis in parte continetur, sed, inquit, murmur & strepitus absint à thorace in venæ sectione: nam his clyster debetur; ob pituitæ copiã à sanguine segregatã. Si à sectione non redeat mens & sensus, conclamatum erit. Aretæus primas laudes ascribit cucurbitulis: nam vires non frangunt: occipitio & spinæ omni imponuntur: post, iugularibus & capiti. Sed prima cura esse debet, vt causa antecedens accidatur, quò locum abeundi ab obstructione sortiatur cõiuncta causa. Ligentur arctè brachia & tibiæ: interdum laxentur, iterumque nectantur. Pituitosa clysmis aueratur. Si trahitur accessio, permittet hæc affectio, inquit Aëtius, omnia temerè agere, audaces iuuat fortuna: date pilulas coccias; & si melancholescat materia, iungite elleborum: vel soluatur scriptuli quatuor pilularum de euphorbio in decocto hyssopi, betonicæ & rutæ. Rases infundit sesquidrachmam anacardinae cõfectionis: addunt castoreum, & aquam vitæ, in pituita. Nares stringantur, vt deglutiant. Ita, ilico à purgatione, ad causam coniunctam nos vertemus, & leptomeriã præditis exhauriemus morbificam causam capite conceptam: à quibus, fusa materia in nares vel paralysem excurrat: præstat enim parte spoliari quàm vitã. Et deriuabimus coniunctam causam sanguisugis ponè aures admotis, & tunc frontis nariumque venas recludemus, modò à sanguine aliena non

lit materia: post duas horas à secta vena brachij id fiat. Hæc dū fiunt, capiti admouebimus quæ leuiter (ne fiat obstructio maior) reuerberant: vt oleum rosatum cõpletum, cum pauco aceto: sed mox remoue. Deinde rasum caput foue decocto chamæmeli, anethi, lilij: quò materia exhauriatur sine attractione. hæc & sequentia fiant vbi à pituita vitium est. & sternutatoria naribus infla ex elleboro macerato aquã vitæ. Tandem sartaginem candentem igne admoue: sed dum vri inceperint capilli, suffecerit: ne affetur cerebrum. palatum fricetur mithridatico soluto aquã vitæ lilij cõuallij, cum sinapi. Et dropaces adferemus. inungemus caput oleo euphorbij, vel amygdalino amaro cum euphorbio: totumque corpus leuiter fricabimus eodem oleo & aqua vitæ lilij conuallij: vt exhauriatur materia, dolorque inferatur, & excitetur facultas. & tandem, ex sententia Aëtij, ad resolutionem materiae & excitandam facultatem sopitam, cauterium suturæ coronali inuremus. Si materia ad mēbrum viam affectat, eò eam trahemus, vt in paralysem se effundat. quare sinapismis prolektabimus eam, & illitu olei cucumeris agrestis. Hactenus de concussione, & si fieri possit amotione infarctus cerebri, cum premit paroxysmi incursum. Attamen interim causa morbifica antecedens nondum plenè amota est, quæ, cum totum corpus obsidet, restibili fecunditate, ilico pariet coniunctam morboq. proximam causam nouam: quare hæc curanda. & quia cerebrum affligitur, quod natura

turâ frigidum, à morbo algido & à paroxyfmi violentia; diffipatis spiritibus, fractum est, recreandū esse notio erit. & cum omnia tædia symptomatū non cedant à paroxyfmo, indicatio nascetur de iis etiam pro uisionem habendam esse. Antecedens itaque causa si sanguis fuerit, qui compressione similem inflammationi intulit affectum, ex copia concepta in venis & arteriis capitis & corporis reliqui, surget indicatio euacuandi influxum, & auertendi influxuram. Si materia aliena fuerit à sanguine, attenuabimus crassam, lentam incidemus, abstergebimus viscidam, & crudam coquemus syrupis & decoctis. Materie morbificæ modus, robur attenuantis remedij explicabit, si contumax materia, oxymelle scyllitico domabitur: nam à scylla absterget, aceto incidit, melle coquit. Sin materia morbifica non eâ pertinaciâ fuerit, oxymel simplex, vel syrupus hyssopi aut stæchados suffecerit. Dein consulendæ sunt aliæ indicationes, num his remediis subscribât: nam puero & fœminæ merum scylliticum negabimus: hoc virilius erit, Oxymelitis scyllitici, mellis rosati, syrupi beronicæ vel stæchados singulæ semuncia: decocti anisi, fœniculi, cinnamomi (ex hydromelite) vnciæ quatuor; propinentur in auro. Præparata materia (quod elucet ex vrina) pharmaco excludatur: accipe pilularū de agarico Mesæ, pilularum de euphorbio, singulos scriptulos: cocciarū, sesquiscriptulum: castorei semissem scriptuli: daerydij, grana tria: decocti saluæ, nucis myristicæ, acori, vncias binas.

Aliæ, pilularum cocciarum, fœtidarum, aurearum, cuiusque scriptulus: castorei semis scriptulus: daerydij, grana quinque: soluantur decocto. Progresso morbo, vomitoris vtetur ad causam antecedentem. Tandem ad partem affectam, quæ hîc est cerebrum, veniemus: nam à paroxyfmo attonitum quasi stupet: Hoc euenit spirituum oppressione, & cerebri algore. Orietur itaq; indicatio procreandi recetes spiritus, & cerebrum calfaciendi. Spiritus aëre pro nutritu vtuntur: & quia à pituita friget cerebrum, sit aër calidus & siccus: degant, inquit Paulus, in maritimis. sed tamen in sanguinea, sit aër moderatus. & cum suauibus nutritio peragatur, sintq; odorata spiritibus suauia, gratis igitur odoribus perfundendus erit aër: sed non impleant caput, in aqua & aceto rosato coque nigellâ: at cum spiritus cerebri non solo aëre pro nutritu fruantur, verum etiam calido & sicco sanguine, nos admonebit eiusmodi cibi: pascatur columbis, monticolis volueribus, dispersis aromatibus calidisq; herbis: nam tenuis & tenuans victus succis crassis utilis. Attamen in sanguinea, absit siccus & calidus victus: nam Abincennas aquam hordei & iulapum roseum seruinque lactis hac in eunte cõmendat. Alioqui laudatur mulsa visus & tui tandem in diuina caluia, rosamarinus & calamintha: ius pullicum molle: puls auenatæ cum melle & aniso, inclinato morbo: Auenzoar vnciam vini propinabat, ad robur membrorum. CEREBRI VERÒ frigus calidis præfidiis auferatur, non

Roboran-
tia.Spirituū
medica-
tio.Cerebri
frigore
fricti
medela.Sanguinea ante-
cedens.Crassa ante-
cedens
præpara-
tur.Purgatio
tunc.

actu æstuantibus, sed vi innatâ. Imponantur sinapismi & dropaces futuræ coronali, & spinæ principio: vt olei rutæ fescuncia: picis vnciæ tres: in diplomate liquecant; & adde sinapi, pyrethri, piperis, cuiusque sesquidrachmam: cum refrigit impositum, repetatur. vel oxycroceo emplastro aut sacro misceantur acria: quale, euphorbium, sinapi, verticæ semen. Illinatur caput oleo castorei, vel anethino, aut chamæmelino in quo coctum sit spondylium aut calamintha, cum vnguento cyclaminis (vocant artanitæ) vel vnguento Agrippæ & aqua vitæ. vapor ex aceto in quo coxit calamintha, dictamnium, caryophylli, castorium. hæc foris. Intus sumat acorum conditum, calainum aromaticum, zedoariam, nucē moscatam, caryophyllos, diacalaminthū, diaspoliticon, theriacam, aquam lilij conuallij, in qua aurum à foco candens sæpè extinctum fuit. Rhases dat sesquidrachmam confectionis anacardiorum cum mulsa, in materia & corpore frigido. Sed cautio adsit, ne vnquam in affectu inflammatorio magnas confectiones has exhibeamus: certò id lethiferum foret. Aurea Alexandrina cōmendatur vbi succi crassities; & aqua vitæ in qua maceratum est castoriū, saluia, nux moscata, & mastix. Dein restibilia quædam symptomata erunt delenda. Vox si immemor officij reddita sit, id erit ab amissa memoria, vel à resoluta larynge, linguâ, nervi sive recurrentibus. Hæc, peculiariis remediis, quæ debentur amissæ memoriæ & paralyti, recreabuntur. Hæc de cura

obstructionis in parte nobili.

Iam de inflammationis parte principe cōceptæ medicatione agamus. Phrenitis itaque proponatur curanda. Notiones curatiuas ducemus ab affectu, parte ægra, & viribus: hoc enim modo omnibus in morbis transigendum. Affectus morbificus primò perspectus esse debet. Phrenitis, dicitur à Galenò, delirium perpetuum: ab Abincenna, Sirse calidum, hoc est, apostema capitis calidum; ad differentiam lethargi. & est vox Persica: nam Sir Persis caput est, & Sen apostema. Arabes Karabiton, id est, delirium perpetuum vocant: nam cum Abincenna proponit Cibarte, intelligit speciem Phrenitidis quæ fit à retorrida bile, quam Trallianus ferinam vocat. Est Phrenitis functio deprauata omnium facultatum cerebri, orta à cerebri immoderatione, quæ originem traxit à phlegmone menyngum. Principes facultates (cogitatio & imaginatio maximè) deprauantur; verum memoria percellitur tantum: nam petunt matulam, micturiunt, & mingere interim non meminere. Propterea ad cerebrum, & non ad solas menyngas hæc fera symptomata duxi: etenim in cuius bonitate cōsistit trium facultatum integritas, in eiusdem vitio hæret earundem facultatum deprauatio: at in cerebri bonitate, & non in membranis vel ventriculis, consistit earum facultatum integritas: quare in eiusdem vitio, scilicet temperamenti alteratione & habitus mutatione, consistet earundem facultatum deprauatio. Hæc cerebri intemperies originē trahit à tenuis menyn-

Phrenitis.

Sirse.

Cibarte.

Quid.

menyn-

Causa. menyngis (quæ ferit cerebrum) maximè inflammatione. Inflammatio causam agnoscit materiam sanguineam tendentem & feruentem, bileque perfusam: si enim abesset sanguis, potius esset Erysipelas, sed Rhases dicit, notari ex rubedine oculorum. Quare fit à sanguine qui gerit flauam bilem, vel qui sociam habet vstam & atram; nam sanguinem melancholicum & pituitosum ab hac iniuria vindicamus. Sed vnde nata hæc influxio sanguinea parens inflammationis? tribus modis fluit humor, orgasmo, doloris vi, vel pars continens exonerat se in contentam. Propterea dicimus, hanc inflammationem fieri transmissione, vel attractione. Si transmissione, igitur aderit pars suscipiens, & mittens, & ductus per quos ruit, & materia ipsa. Pars suscipiens, menynges vulnere debilitatæ, aut ortu à primo: si mala accesserit vitæ ratio. Ruit per venas & arterias, materia, est sanguis. Mittens, totum corpus cacochymiam fecerit, (nam plethora non ita, nisi causæ inflammantes sanguinem accesserint) aut pars, vt iecur vrens sanguinem. Si menynges attrahit sanguinem, id fit dolore vel calore: inde corpora calentiora & sicca huic morbo exposita sunt in iuuenta, si victus ratio in vitio fuerit. Cum itaque Phrenitis sit symptoma quod oritur ab intemperie cerebri, oritur indicatio alterandi. cumque hæc sit calida & sicca intemperies, refrigerandum erit & madefaciendum. Sed quia intemperiei sociatur materia, euacuandum, materia auctor est inflammationis, in qua efflores-

cit vis caloris, ac vbertas sanguinis biliosi: quare, temperandum & euacuandum. Materiam morbificam in-^{3. Epid. 77.} doles hinc notanda in substantia, qualitate, copia, & motu: nam cum intemperies adsit cum causa, à causæ excisione auspicianda curatio. Materia si substantiam in vitio sit, vt cum venenū ferè spirat, aut si copia fatigat, euacuanda. si qualitate, alteranda. si motu, cogitandum de influxa, fluxura, & de ea quæ partim influxit & partim influit. Si influit, ^{A fluxura} aderit indicatio reprimendi. Quod si partim irruat, & partim iam insedit, notabimus num in caput ruat, emissæ à toto corpore, vel à peculiari parte, aut congesta num sit in capite. A toto si irruat, illud euacuandum: & vt recessit humor à sanguine, ita parcius educatur: vt, si pituita salsa mixta sit sanguini, si à parte, illa euacuanda, & reuocanda ad carceres hos erit, vnde profecta fuerat. si in capite congesta fuit, cucurbitis exsugenda. Fluxa materia vel hæret venularum anfractibus, vel in aluos effusa est, aut imbibita poris in molem effert partem. In primâ, deriuandum repellentibus: in aliis, resolutioni & scarificationi indulgendum. Cum materia fluxura est, se-^{A fluxura} effundet vel attractione, vel trans-^{77.} latione: vtraque erit reuellenda. Ratione doloris cum prolestatur morbificam materiam, ille mitigetur. si iniuriâ caloris, refrigeretur. A transmissione si irruat, occurrendum mittenti parti: propterea, totum corpus vel hepar refrigerantur interdum. Primum tamen totum purgetur: nam materia orgasmo efferata est: & obnixè alterandum, ita à morbo,

& causâ morbificâ elicitur reme-
 diorum census, jam ad alias indi-
 cationes pergendum. Num morbus
 in decursu sui principio, aut me-
 dio vertetur explorandum: & num
 ex idiopathia vel cõcordiâ affligat:
 an sit vera phrenitis. Dein exami-
 nanda partis affectæ substãtia, fun-
 ctio, connexus, sensus, situs. menyn-
 ges affliguntur (Censilis pars) pro-
 pterea miti medicamine percellen-
 dæ: sed leptomeriâ valeat: cranto
 enim tectæ sunt. cumque vnâ cere-
 brum laborat, à stricto medicami-
 num algore abstinendum: nam &
 spiritus recteandi odoriferis. & pa-
 lato naribusq. ritè excludetur ma-
 teria capite concepta. Tandem, in-
 dicatio à virtute ducta perpenda-
 tur: nam ea prostrata totam elicit
 ad se curam: valida, negligitur: me-
 dio modo affecta, altero oculo ob-
 servatur. si brevis futura, tenuissi-
 mè habendi: nec coqui poterit ma-
 teria, sed ilico, (quia effera) extru-
 denda. si aër incãduat æstu, strenuò
 agendum. Ductâ itaque indicatio-
 ne à causa morbifica fluente & in-
 flammatione, cum affectus sit ve-
 hemens, valido remedio (quale est
 phlebotomia) opus erit: modò vires
 robustæ fuerint, sine infirmitatis
 metu. Propterea in hectica phreni-
 tide, ab ea supersedendû. Sed quâ
 copiâ? hæc indicatur à magnitudi-
 ne morbi, copiâ sanguinis, & virtu-
 te. si succreuerit ex alio morbo (ob-
 fractas vires) parcius euacuetur. Si
 sanguinea fuerit, erit acuta, aut per-
 acuta. si peracuta, eâ ineunte, ad
 animi deliquium exhauriatur: nam
 septimum diem non excurrit, estq.
 vehemēs inflãmatio, febris peracu-

Phlebo-
 tomia.

I. Aph. 3.
 & 13. &
 I. aph. 23

ta, & dolor summus: in his enim
 tribus historiis, non iunctim, Gale-
 nus dicit, se nõ inuenisse maius re-
 medium euacuatione ad lipothy-
 miam vsque. Verùm hæctria, iun-
 ctim in phrenitide occurrunt: et-
 enim caput & membrana æstu in-
 flammatorio ardent, febris inten-
 tissima, & summa doloris adest
 causa. Vires, robustæ esse possunt:
 nam sanguini mixta est materia
 morbifica. Si vires firmæ, ineunte
 morbo tales sunt: nam rarò alioqui
 pulsus eorum est magnus. admonet
 ob id Galenus, periculosum esse ad
 lipothymiam elicere sanguinem. &
 Aretæus scribit, iuueni saginato cui
 venæ turgent, minùs in Phrenitide
 detrahendum, quàm si non phre-
 niticus foret. Optimum fuerit hac
 in re sequi consilium Hippocratis,
 qui in inflammatione lateris educit
 sanguinè ad coloris mutationem:
 non tamen hîc ad lipothymiam:
 excurret ad vncias quatuordecim.
 Quod si maximè bilescat sanguis,
 suffecerint vnciæ sex, robustis de-
 cem: nam pharmaco postea opus
 erit. Si à præcordiis, inquit Aretæus,
 orta est, audaciùs secandum: nam
 fons sanguinis ibi habitat. Vnica
 vice hæc fiant: nam morbus non
 dat inducias. foramen angustum
 inferatur: pice oblinatur. Quo tem-
 pore: ilico, nam dicit Auicenna, po-
 stea iniiciatur enema. & Rhases ait,
 antequam eluceant cõspicuo signa
 phrenitidis, primo vel secundo die,
 inquit Aretæus: si quarto die phre-
 nitis inuaserit, à septimo elapso
 pertudatur: si sexto vel septimo die,
 omittenda; nam est criticum illud
 dolirium. Quæ vena secanda? hæc
 non

9. Meth.
 3. 4. 10.

non in arbitrio nostro semper est. Aretæus meatū scindit: vel cephalica primò eligatur: quia partim influxit, & partim fluit humor. Si maxima sanguinis vbertate circumfluat, primò cephalica solvatur. Sin parcior fuerit sanguinis copia, mediana pertūdatur. Si adhuc sanguis minutior fuerit, feriatur basilica, hoc est, interna vena, axillaris dicta. Vbi vena secari nequit, cucurbitulæ dorso & lumbis admoueantur. Si sit ab atrabilario sanguine, recludantur hæmorrhoides. Hirudines ponè aures & temporibus applica. morbo pergète ad vigorem, aperiatur vena frontis. tandè, interscapulio inanis cucurbitula imponatur, & vertici, cum scarificatu. si à suppressio menstruo, primo brachij recludatur vena; dein, pedis. vincula & frictions crurum, auertunt à capite. Quantum ad pharmaciam, si remittit se per accessiones, materia parari potest, & pharmaco educi. primò leniendum, perpetuoque irritanda aluus. si clysmis, ex lactucâ, violariâ, seminibus frigidis, cassiâ, oleo violarū, melle rosato. lactucæ frequens sit vsus in syrups & decoctis: nā somnifera est, naturæ studet, & vnâ cum morbo pugnat, ferocientemq. materiam domat. Aquæ endiuia, libra: succi granatorum acidorum, & dulcium, cuiusque vncia: sacchari selibra: fiat Iulep. ita citriorum & acetoso syrupo vrimur: purgās, electarij de succo rosarum, catholici cuiusque drachmæ duæ: syrups violati, & rosati cuiusq. semuncia: decocti hordei, vnciæ tres: fiat haustus. Aliud, myrobalanorum citri-

narum, & Indarum, drachmæ duæ: coque in duabus libris aquæ violarum, ad dimidium: adde pruna decem: tamarindorū drachmas duas: iterū coque: expressioni adde manna fescunciam. Tandem ad causæ coniunctæ curationē veniendum. Hæc vel loco migrare potest, vel non. quæ migrare potest, in vicinis venis hæret, & nondum phlegmonem fecit, reprimatur oleo violaceo cum lacte muliebri.

CAVTIO, ab aceti immodico vsu abstinence: nam vigilias adfert & dolorem. sed sit ea copia, qua peruadere solū remedium possit in locum affectum. Si materia foras fertur, non reprimenda erit: sufficit acetum naribus admouisse, & caput decocto maluarum fouisse. In initio sint frigida topica: in statu, mixta: in fine morbi, purè resoluentia. Assiduus rerum frigidarum vsus vitetur: ne in lethargū abeat. Primò vtemur oleo rosato completo, dein addemus chamæmelinum, tandem chamæmelino cum lilino & anethino. dein ad castorium & euphorbium venimus, & viuas columbas capiti imponimus, vel omentum calidum, calecat in sargagine cum oleo chamæmelino, vel pulmones bruti. æstate tepidè, hyeme calidè. Cū maximè insanunt, inquit Aretæus, maximè reprimendum: non autem hoc agendum initio. Suadet Aretæus, vt maxima cura sit hinc etandi thoracis, gratis rebus: nā ibi maximè æstuat calor. Topica præterea admouentur ad vigilias. Hic cauendum ab aceto, ob eius siccitatem: sed loco halus sit succus limonum. Opium

Causa cō-
iuncta re-
pudia.

Cautio-
nes.

Vigilia.

non adhibeatur fronti aut temporibus, nisi valida sit virtus. opij, croci, singuli scriptuli: vini albi, aquæ rosatæ singulæ vnciæ: linteo admoue. à somno abluatur, chamæmeli & anethi decocto. Lotiones instituuntur manuum: has descripsimus libro secundo. Cōmendat Aretæus serpillum vel hederæ succum ex oleo, cum pauco aceto: nam difflant materiam crassam vigiliarum auctorem. Si à diaphragmate deliriū est, oleo rosato completo illinatur, inquit Aretæus, cum conyza, anetho: & si inflatio adsit, adiace semina cymini, & apij. fiat cataplasma ex farina hordei, semine lini, scœnugræci, cum melle. VICTVS: Aër lucem & tenebras intermedius sit. Si in luce quæ non sunt cernūt, aut alia pro aliis agnoscunt, aut si varias nouasque imagines accipiunt, obscuro loco contineantur. Picturæ absint, & extantes festucæ & flocci. Odor adsit caphoræ, ex aqua rosata vel nymphææ. Phrenitidi non exactè acutæ, quæ excurrere potest in vigesimū diem, victus tenuis simpliciter conuenit, vt tota ptisana. ad decimum quartum quæ effertur, huic utilis erit ptisanæ succus. ad septimum quæ sistitur, fruetur potu, cum pauco cremore ptisanæ. quarto quæ finietur die, inedia illi cōmoda erit. Inclinato morbo, piscibus vtetur. Sicibus madēs & frigidus, hordeum, pruna, iuscula alterata lactucâ, vel capite aut seminibus papaueris, & frigidis seminibus nodulo inclusis. lactucæ commendantur coctæ & aspersæ saccharo violato. & cichoracea. Aretæus vtitur diureticis,

maluâ, betâ, apio, cucurbitâ. A potu ^{Potus.} frigido actu abstineat. vtatur iulapio ex granatis, syrupo violato, nymphææ, rosato, vel de ribes, cum aqua hordei. Aretæus vinum concedit, vbi atteri incipiūt vires; nam, inquit, insaniam demulcet, emollescente animo, ira cadit: dabitur cum trahitur morbus, & ignanâ febre. Si stomachus à bile mordetur, inquit Aretæus, ac areseat siti, detur lac cum aqua, plenâ manu. Quos odit, absint; amica videat & audiat: nam animi placationes & turbationes hîc plurimūm possunt. Absit strepitus omnis; nā acutè audiunt, & strepitu irritantur. Absint picturæ, & læues sint parietes: nam præ oculis falsa simulachra versantur, hinc manus agitant, quodd propè esse eminentia existiment. sit cubile mediocre, vt nec volutari, nec delabi facilè possint. molli sint lecto, id gratum neruis. Cuique vsitata, inquit Aretæus, somnum accersunt; nautis, nauis odor, & ventorū turba. Ab his cauendum, ne barbæ lanienam inferant; simulant se sanos. Liquida sit aluus. fluat vrina: pubes foueatur decocto parietariæ, asari, petroselini, ex vino. sumat fructus alkekengi. Cū deliriū mitescente morbo in fatuitatem vertitur, nec dura sunt præcordia, sed si focus morbi in capite fuerit, sæpe lauari debet caput: id facit corpus difflabile, siccitas obtundetur, ac mens stabilietur. Si liceret casum in consilium vertere, agros subito & nihil tale cogitantes in ingentem cadum frigidæ plenum præcipitaremus, in caput peruolutos, nec eriperemus nisi post assatim haustam aquam:

A diaphragmate.

Dieta.
Aër.

Sibus.

aquam : vt subita formidine tacti, ad infernas partes abriperetur materia morbifica. Sæpe vsu comper- tum, hos euasisse, qui cæstro perciti phrenitidis, sese in profluentem præcipitassent. Hæc de vsu. Horum exemplo, facile cuique erit, reliquos morbos peculiariũ partium, ex ductu Methodi tractare. quod summo Numine oia nobis faciente, aliquando vberius perficiemus.

CAPVT XXX.

EXAMEN ÆGRORVM.

QVO MODO INTERRO-
gari debeant.

IN remedia non præcipites rue-
mus, antequam historiam morbi ægrique naturam ac cæterarum indicationum vires accuratè examinauerimus : tutior vbique consulta tarditas celeritate temeraria. Primo accessu rogabimus quamdiu morbo implicitus fuerit. Ex responso facile colligemus num breuis vel longus futurus sit morbus : nã eius speciem, morem, motum, partem affectam, humoris dominatum, & magnitudinem facile animaduertemus, vt ritè victus ratio præscribi possit, & remediorum vsus cautè iniri. Præterea inde nobis cõstabit, num neglecta fuerit occasio mendendi, & num ex curabili incurabilis morbus factus sit. Secundò, ex ægris quærèdæ res naturales. Quæ, dum sanus esset, temperie frueretur: vt quantum ab ea mutatus sit, in breui vel longo morbo, animaduertamus. Hoc vt certâ serie fiat, primò indagabimus quo modo officium suum recerint principes ce-

rebri facultates, imaginatio, cogitatio, & memoria, dum valetudine bona frueretur homo: nam inde cõstabit quàm prolixè extra lineam abierint. Deinde de sensu, motu, somno, & vigiliis quæstio sit. Attamen non exquirite cuncta, sed vt medicum admiretur ac fidere illi discat, aliquid ingerendum quod non rettulit. Nam cum narrauit sibi frequens ac solemne esse per sanitatem suavis pituitæ sputum, dicite, Verisimile esse illum per sanitatem altum dormire. Tertio veniendum ad naturales cerebri functiones: sed quia illæ obscuræ sunt, indagandũ erit, quamnam ideam excrementa gererent in substantia, qualitate, quãtitate, tẽpore eiiciendi, & excernendi modo, dum nondum fracta esset valetudo. Et num solemnis euacuatio pituitæ aut sanguinis suppressa sit. Amplæ venæ cerebri calorem denotant. Quarto, de appetitu rogandum: num validè coquere soleat ventriculus, & an fatigari assuetus sit flatu, ructu, nausæâ, vomitu. hæc aperient moderationem genuinam ventriculi. Non quærite omnia, sed si vrinam profuderit olim tenuem aqueam, affirmate eũ à cibo grauari. Quintò; explorabimus œconomiam hepatis, qualis in sanitate fuerit, num hæmatosis sui officij memor esse soleat; an bilis copiosè effluere assueuerit vomitu aut secessu, color flauus num faciem fœdarit, vel hæmorrhoides an nõ interdum efflorescere soleant, & num æstiosa vrina esse soleat. Cum conueniunt symbola in calorem, narrabitis, atenuas cū flaua vrina emanare consueuisse.

Naturales.

4. Apb. 7
8. 18.Animalis
facultas.

sueuiffe. Dein cura fit de renibus. expiscabimur num lumbi exardescere interdum illi soleant, dum incorrupta sanitate frueretur; & num arenulas profundere solemne illi sit: hæc enim calidorum renū symbola sunt. ita si filamēta (qualia descripsit Hippocrates, quarti Aphorismorum septuagesimo sexto) cum vrina dfferantur: sunt enim soboles æstuantium calore renum, qui pituitosam exurunt materiam: vt in iis, inquit Galenus ibi, qui caseo aut faba fresa liberaliùs vescūtur. Quin insuper notandum erit, quo modo vesica affecta esset, dum nondum fracta esset valetudo: nam exulcerata si fuit, ab eâ fœdata vrina nullam significationem morbi venosi adferre poterit. Tandem inquirendum, quâ vehementiâ facultas vitalis assueuerit, in sanitate, suâ functionem agere, num irâ præceps, blandus, tristis, amori deditus. Pulsus, cum à pristina natura morbo abreptus sit, decipit; nisi vi morbi cōpertâ, quantum à genuino motu degenerarit obserauerimus. vt si querela est de febre tertiana, pulsus autem tardior, infrequens, ac fractior si emicat; dubio procul, huic illabefactata in valetudine euenit pulsus languidus, refertē cunctatorem hunc esse, nec animoso impetu in consiliorū ductu præditū fuisse. Transeundū postea erit ad res non naturales, & investigandum qua modestia vsus sit in rebus admo- uendis, faciendis, & ingerendis. cogitandū de aëre quo hætenus vsus fuit, de exercitiis, & euacuationibus suppressis aut effluentibus, sanitatis tempore. Vltimò in examen duce-

Vitales.

Res non
naturales.

Res cōtra
naturam.

mus res contra naturam: qua arte ac serie, abundè id indicauimus capite huius commentarij tertio. sed (ne medicus, morbus fias ægro, nimio loquelæ tædio) non roga de illis cunctis. Verùm ex ore ægri morbiferam disce partem, & explora ea quæ ad eius solius œconomiã spectant. si de capite querela sit, fueritque id valida rubedine dehonestatum; vt percipiamus quantum extra naturæ legē abierit, rogabimus num tam vultuosa facie benè valens esset. interim de aliis membris silentium sit: nisi suspicio fuerit de concordia: nam cūm contagiō ab alia parte hæc trahi metus est, æquè examinari debet. Si nihil horum morbum aperit, cūm tamen æger contabescat, animi ægritudo erit. Nihil hac calamitate vberius in morbos, ita vt Plato existimaret, omnes morbos ex animo oriri. nam animi cura infirmum resolubilemque efficit spiritum: etenim per anxietates anima per seipsam mouetur. Sæpe ab amore hæc scabies & tabes inuadit. ac eam tegūt ægri, & medicos ludunt & se laudant. Quare stratagemate hinc opus est astuto, & cautè omnia perlustranda (nam inde certa laus) quò æger, qui se iam morti consecrauit, rescitari possit. nam inquit Lucretius:

*Nec reperire malum id possunt quæ
machina vincat: vsque adeo incertis tabescunt vul-
nere cæco.*

Ita Hippocrates seruauit Perdiccam regem, cūm Phylam parentis pellicē deperiret. & Galenus quandam saltatoris amore tactam deprehēdit. & Erasistratus, vt elegan-

ter

vide Stam
abbine pag.

Plutar-
chus in
vita De-
metrij.

ter refert Plutarchus, comperit ma-
lum Antiochi, qui Stratonices no-
nerca amore tabescebat, qua (pru-
denti consilio medici) volente Se-
leuco patre, potitus, euasit. Quare
nihil æquè occultis quibusdam cu-
niculis demolitur valetudinem bo-
nam, ac in mœrore iacere, vnde
Lucretius,

*Et dolor & morbus lethi fabricator
vterque.*

CAPVT XXXI.

QVO FILO CONSVL-
TATIONES SINT
DV CENDÆ.

BONVS consultor, inquit Iso-
crates, res omnium vtilissima
& potentissima est. * τὸ γὰρ λέγειν ὡς
δεῖ, τὴν φρονεῖν εὖ μέγιστον σημεῖον ποιεῖ-
μαθα. Hippocrates libro de veteri
medicina, & Heraclitus in epistola
ad Amphidamantem lucidè osten-
dunt, vnū illud discriminare cau-
tum doctumq. ab ignauo medico,
doctè de morbificis causis, morbis,
signis, & corporibus ægris disserere.
Nulla certè promptior ad gloriam
via est quàm illa, quæ ducit rectum
minimeque cespitantem pedem in
hoc consiliorum forum: vbi, in co-
rona doctissimorū hominum, eru-
ditio multis antè comparata labo-
ribus explendescit. Quid ibi tum
quæso pulchrius, quàm filo certo
ita cuncta trahere, vt consecutiā
quadam serie nexa simul in vnam
historiam videantur: & interim va-
lidissimis rationibus suam munire
sententiam, vnaque quæ à ratione
& re aliena in diuersum abeunt
debellare? certè hoc ad * ἔργον

* hoc est,
nam ex
opportuna
oratione,
animi pru-
dentiam
eui maxi-
mo signo
conuicte-
mus.
Utilitas
consultat.

* dignita-
tem me-
dicam.

τὸ γὰρ λέγειν non parūm facit; il-
lam dico, quæ in ægri salutem abit;
dum lubenter se det illi medico,
quem cæteris rerum notitiā ante-
cellere videt. Admiratio me sapè
tenuit de nostra gente, tantam rem
tam negligenter admittere, cūm
doctā à consultatione abdita mor-
bi idea, certa que ad salutem reme-
dia se aperiant. Qua itaq. arte hæc
historia adenda sit, breuiter tra-
dam. Docuit olim Biantes, vnicum
esse principium benè consultandi,
nosse de quo instituatur oratio: sin
secus, omnia aberrare necesse esse.
Quod imitantes, affirmamus pri-
mūm omnium lustrandum esse de
quanam materia & de quot rebus
transigendum sit: vt si de solo sym-
ptomate, vel de sola causa morbifi-
ca, aut de morbo solo sit transigen-
dum; ne temerè extra lineam à pro-
posita te abeamus. Si de pluribus,
vndenam exordiendum, & in quid
finiendum. nam series certusq. re-
rum ductus conspicuam rebus af-
fundit lucem. Et in hoc ductu illud
studium adsit, vt firmis rationibus
suam sententiā consultor stabiliat.
Opus itaque erit materiā, ordine, &
probatione. Quare à materia de
qua instituta est consultatio, nun-
quam longiùs abeat oratio: quia
collineet perpetuò ad propositæ rei
finem, & ad hæc quæ ad finem nos
ducunt. Finis autem hîc est cogni-
tio, prædictio, & medicatio. Hæc si-
gnis elucescunt, quæ vnde duci de-
beāt, clarè aperuimus capite quar-
to, vbi de euentibus morborum. Vt
igitur aptam negotio materiam in
theatrum hoc educamus, perspe-
ctum esse debet, cui personæ aptam

In vna spe
sint tria
Lignum
materia
q est duplex
vna quæ
ad ipsam
personam
sine natu-
ra est
altera q
ad ipsam
affertur

Materia
consultatij
omni quæ ad
personam
est

deligemus, & ex quibusnam fontibus illa haurienda, & qua serie producenda; & si non stabilis satis, ut rationibus firmemus. Persona itaque cognita sit. Propterea qui primus dicet, ex fide historiam affectus præter naturam narrabit, accisis quæ ad rem non spectant. secundum cum series ad dicendum euocat, silentium ei sit de historia: nisi quid magni momenti primo exciderit. Secundò flectatur oratio ad Res non naturales: & narrandū quæ diæta usus fuerit in aëre, cibo & potu, exercitio & ocio, somno & vigiliis, excernendis & retinendis, ad-mouendis, & venere. Hæc ea ratione proponuntur, ut, quænam causa morbifica, sit inde eluceat: vel ut constet, quamnam temperiem corpus à consuetis rebus imbibit. Quare hæc interdū commodè hoc loco omittuntur: & dum ad causarum & morborum indagationem ventum fuerit, in usum vocantur. ut etiam si de conseruanda vel flectenda temperie agatur, viribusque stabiliendis, & ubi notandū, quantum à suo ortu deflexerit natiua temperies, tempestiuè examinari possunt. Tertiò filum orationis trahet ad Res naturales: loquela erit de natura communi & peculiari, in habitu, temperamento, & actionibus: & qua moderatione pars ægra dotata fuerit, & de eius usu. Præterea quæ sit ægri ætas, cōsuetudo, ars, sexus; & qua facilitate, quouè labore medicationes ferat. Hæc eo fine ut eluceat quantum abierit, & qua remedij copia ad redintegrationem temperiei opus sit: & quæ adhuc vires ægri, & quales eæ sint huic

morbo subiectæ. Propterea etiam hæc rerum naturalium historia poterit interdum hoc in loco suppressi, & vsibus suis admoueri: ut dum agimus de morbis, & causis eorum: ut intelligamus quantum ægri à lege suæ naturæ deflexerint, quantaque opus sit medelarum copia in morbi & causæ morbificæ accisione, & quo alimēto ad virium restorationē. nam sæpius in usum prodire debent. Hic obseruandum, non eodem ductu vbique his vtendū esse: Cum enim peculiaris pars à morbo pressa languet, præteriri poterit totius corporis temperies, totaque cura in partem flectenda, quod eius natura pateat: aliter cum feбри implicitus iacet trāsfigendum: nam totius temperies tunc excutienda. Et multa quæ in aperto sunt, quæque ad finem nō faciunt, quem tunc collimamus, trāsilienda erunt. Si enim temperies partis in querela fuerit sola, temerè de eius figura, numero, situ, cōnexionē, magnitudine, & cōformationē, verba facies. rursus si hæc in vitio fuerint solum, vanè de temperie partis ageres: nam diuersis morbis, diuersis præsiidiis opus est. Et hinc etiam id repeto, hanc cautionem adesse debere, ne semper de ægri temperie verba fiant: ut si morbus adsit, constāte adhuc & infracta natiua temperie, quales sunt morbi in mala cōformationē, magnitudine, numero. Quin notius hinc de partium structura differendum foret. ut, si de luxata parte suspicio adesset: hinc ut noscamus num ea luxata sit, & quamam ideā luxationis violata sit, opus erit indagine de natiua partis

structura:

et qd vrb
in ra / m
nam d,

Res non
naturales.

Res natu-
rales.

Notandū

structura: at temperies hinc negligenda. Ita auctam præter naturam magnitudinem aucupamur, ex eo, si commiserimus ei quod eiusdem generis ex lege naturæ est: Et tunc solum id agimus, cum sine his, ea quæ præter naturam sunt, conspici nequeunt. Hoc dico in temperie, conformatione, & magnitudine labefactata locum habet. ut si dubites num febris adsit, & quanta ea sit. Quare tantum dicatur, cum opus est, de nativa temperie, partisue conformatione, quantum satis est ut inde affectus præter naturam eluceat, & remedij quantitas captari possit, ut si sanguis educendus: quia ille copiam effertur debeat ut intelligamus: si pars luxata, quanta tractatione opus sit, quò redeat ad suum stabulum ut cognoscamus: vel ut inde explendescat quanta sint virium opes. Nisi tamen ratione conseruationis diætæque instituendæ, de temperie etiam agendum esse existimes: nam tunc etiam, vbi mala conformatio vel magnitudo vitiu fecit, hæc benè in proscenium hoc educuntur. His itaque primùm positis, vel potius (cum sæpè postea causis morbificis, morbis, symptomatis, curationi & refectioni adhiberi debeant) prætermisissis, ad res præter naturam abeundum. Quartò itaque, cum historiam depinxerit sermo quæ tractanda venit communibus consiliis, priusquam fiant verba de remedijs, primum negocium erit, accuratè de rebus præter naturam (hoc est de morbo, symptomatis, & causis morbificis) transigere: nam in his materia est, quam huic iam depictæ personæ, hoc est ægro, ad-

hibemus. Morbus itaque, symptomata, & causæ morbificæ ita sermone nostro depingantur, & tali serie ob oculos ponantur, ut cuncti fateri cogantur, illum talem affectum esse. Id ut decenter fiat, vbi quæ profers difficultatem vel obscuritatem gerunt, probationibus illustranda, vel quæ genuinam faciem tegebant abstrahenda. Inde fiet, ne, cum ad remedia ventum fuerit, titubet medicorum concordia. ex his enim non aptè distinctis, contrarium affectui remedium concordibus animis inferri nequit: hinc miseræ illæ concertationes apud ægros, nullo idem sentiente: cum diuersas ad hypotheses collineent. At positis affectibus, vtrò sequentur contraria remedia: vel suam ignorantiam palam dabunt indocti medici. Hinc accuratè perpendendum de quanam re instituta sit consultatio: ne alienam à re materiã tractemus. nam interdum de solo symptomate initur consultatio: ut de dolore, vigilijs, viribus lapsis: interdum de causa morbifica, ut, num ea pharmaco vel sectione venæ adimi debeat, an potius vrinalibus, nonnunquam de solo morbo consilium initur. quin non rarò de omnibus his tribus verba habenda: de eorum, dico, natura, genere, differentijs, causis, euentibus, & partibus differendum: cumque sæpè hæc se latibulis abundant, notis peculiaribus notanda erunt. Quare videndum de quanam re instituta sit dissertatio: Nam primum semper dicemus de ea, ad cuius deuictionem consultatio instituta fuit. ut si euocati fuerimus ad morbum debellandum, ab eo

Res præter naturam.

Ma
trina
renu
patri
mij
ad aff
tum

ipsu, ut qd vult in
re formandi

ducatur oratio: sin' huc ventum ad symptomatis mitigationem, inde proficiscatur sermonis exordium, quodsi de morbificarum causarum accensione deliberatur, inde ducendum erit primum vestigium: sed si de omnibus quæ in querela sunt sit agendum, à morbo prima trahatur linea. Sed hi sæpè latent: quare signis eorum generâ & differentias interdum aperire cogimur: hinc de symptomatis: tandè de causis, quæ etiam signorû notis internosci debent: quas (à Prædictione) cõmodè curatio excipiet. Sed cùm symptomata gemina se offerant facie: vel enim Morbo necessariò sunt cõsectaria, quæ alioqui nullû negocium faciunt in cõsultationibus, sed quæ solùm vt symbola & notas intuemur: Alia verò sunt, quæ vi sua opprimunt ferè ægros, & medicam manum euocant. de his vltimis, post morborum indagationem transigemus. sed illa priora, cùm signa morborum sint, ante, vel cum morbis ad calculum nostrum venient: quò ex illis deprehendatur morbus, vt docuimus huius libri capite tertio. Itaque hoc filo incedat cõsultatio. Cùm hic homo nequeat vitæ suæ munia exercere, sine dubio aliquid præter naturã illum cepit. Quod autem præter naturam corpus habet, aut est Symptoma, Morbus, aut Causa morbifica. Si fuerit symptoma, hoc erit in actione, excremento, vel qualitate, à natura sua abreptis. His, tanquam signis, interdum latentes morbi deprehendi debent: quibus iam adde Res naturales, & non naturales: quod scilicet ex his omnibus, propositæ rei

Symptomata vt signa.

aliquam lucè adferre posse videatur. Hoc itaque loco in vnum censuræ colligi debet symptomata quæ elucent in oblatò ægro: & maximè ea, quæ suâ magnitudine medelam flagitare videntur. præterea recenscat quæ adsint causæ morbificæ, & qui præsentant morbi. Nec hinc iam solo nomine contenti erimus; sed ostendemus nobis cùm morbo, vel symptomate, aut causa morbificam rem esse. vt si de Melancholia agendum sit; monstrabimus illam causam morbi esse, & cõsectaneum mærorè, symptoma morbi esse ab intemperie cerebri. Clarè itaque monstre vt rationum ductu (modò dubia res fuerit) num hic affectus, de quo agitur, in morbum, symptoma, vel causam morbificam referri debeat: vt cunctis constet de qua re agatur, & quæ sit rei propositæ essentia, hoc est, num sermo sit de morbo, symptomate, vel causa. Hinc iam stylum vertat qui secundo loco dicet: vt vel ex morbo in causas, vel ex morbis in symptomata recurat oratio. Postquam ad symptomata ventum est, vnà perlustrandum, num pars pressa symptomate ac morbo, idiopathiâ, hoc est num proprio stabiliq; ex affectu agrotet, id est, nû in ea stabuletur morbi focus, vel num potiùs ex deuteropathiâ agrotet: num scilicet id fiat ex concordia & contagione, aut ex diadosi. Cùm ex concordia, indagabimus num id reueniat generis similitudine, operis societate, aut vasorum communionem. quodsi per diadosin; num criticè, vel per metastasin. Cùm hæc dubia fuerint, rationibus stabiliantur, quò rectè

Pars affecta num symptoma.

& genuinâ se palâ dent facie. Si occurrerint quàm plurima symptomatica, abducatur symptoma quod longiùs à morbo recessit, in aliud illi iunctius symptoma; sed postea in morbum abeant. Deinde confestim properandum ad morbū: nam hic ille hostis est qui debellari debet. Qui si abditus fuerit, symbolis ac notis in lucem ponatur: vt quis ille sit intelligatur, & qualis sit morbus de quo consilium initur. Hoc facile fiet ex perspecta demonstrataque eius essentia, in genere, differentiis, & speciebus quarum causâ varia initur curatio, tēporibus eius, ac parte in qua stabulatur, num ea sit similis vel organica, & quas actiones eius lædat. Vel, vt lucidiùs id dicam, cū de morbo agimus, vt rectè ille depingatur, examinabimus eius essentiâ, in genere, specie, magnitudine & paruitate, more, motu, tempore suæ historiae, & parte obsessa. Primò itaque, vt iam seriem posui, ad quodnam genus pertineat propositus morbus, examinabimus, quò rectè eius essentia definiri possit. num scilicet sit morbus in mala conformatione, magnitudine, numero, situ, vel torâ substantiâ, aut in intemperie, vt febris ephemera, putrida, hectica. Hic cautio adesse debet, ne flectamus cursum orationis in fusa illa nimisquē ampla rerum genera, sed adhuc morbo dicatum genus ilicò properandum: imò ad speciem peculiarem promptè sermonē dimitte. Quæ si latitent, signis peculiaribus probetur ad hoc genus illamquē ideam præsentē morbum pertinere. Et si is qui primus disse-

ruit, nō rectè hæc tractauerit, notis id monstretur, & demonstratione melior sententia stabiliatur. Secundò, propositi morbi speciem indagabimus; vt num sit intemperies calida, vel humida & frigida: num febris continua, vel intermittens; simplex vel composita; mordax ad tactum, vel mitis. Tertio, eius magnitudinem & paruitatem examinabimus, vt nū chronicus vel acutus: quod ex symptomatū magnitudine intelligemus: nā acuti morbi celeriter, continuo, & vehementer affligunt. Quarto, morem morbi perlustrabimus: num mali vel boni moris, dextri vel sinistri iudicij; ex hac vel illa causa natus: & in quo humorum dominatu. Quinto, motum morbi propositi inquiremus: num sit continuus vel intermittens, ordinatus vel ordinis expertus, æqualis aut inæqualis: motum feratur vehementi, continuoq. & celeri. vel his aduerso num repat ductu. Sexto, tempus morbi perpendendum, per quod sui decursus vniuersale tēpus iam morbus labatur. num iam in principio, augmento, vigore summo versetur, an potius iam inclinata sit eius vis. Si conspicuū fuerit id tempus, minimè opus erit vt notis eius præsentiam tēstemur. præterea notandum, quando illud morbi tempus inceperit, quamdiu durauerit. & num periodis recrudescat. & quales sint periodorum & paroxysmorum recursus, longi vel curti, graues vel leues, ordinatæ vel ordinis expertes, æquales vel inæquales. quo modo, & quo tempore paroxysmi inuadant, augeantur, vigeant, & cedant;

Morbi.

II
seruiriI in
morbiQua se-
rie morbi
examinā-
di sint.

Cautio.

-ca
-ca
-ca

malis

dant; & num simul vel seiunctim adorianur, increscant, vigeant, decedant. Et quid fiat in omni paroxysmi parte; vt, si vomat incunte paroxysmo ille æger qui tertianæ intermittenti implicitus iacet, indicatio adfertur inde, Tertianā versari in initio sui curriculi: sin paroxysmi vigor vomitum bilis exceperit, deferri Tertianā per statū vniuersalis suæ historiæ denotabit. Ita cōsiderabimus num horreat, frigeat, rigeat: & quamdiu durent hæc, & quādo sudore perfundatur. & num graue symptoma incurrat paroxysmi temporibus, vt vigiliæ, syncope, hæmorrhagia, diarrhœa, & talia. & quo paroxysmi tempore hæc infestēt: vel num toto paroxysmi decursu perennent. & in quod excrementum finiat paroxysmus: vt num alui cedat fusione, aut sudorum eruptione. & num ad merum interualum se demittat. an principium paroxysmi, augmentum, vigor, vel declinatio longiùs excurrant. Hæc si obscura, notis aperiemus, & firmabimus nostram de his sententiam. Hæc quæ hætenus dixi ad morbi faciem dignoscendam, prudenter in vsum duci debent: nec enim eadem differentiæ in omnibus locum habent: & quæ habent, non negligendæ, maximè si curationi auxiliares videantur. Septimò,

VII. Partem affectam inuestigabimus: nam hæc agrè omitti potest, dum differentias morborū recensemus. Perpendat igitur hîc cōsultor, num totum corpus, vel pars tantum peculiaris affligatur. & quid protopathiâ, quid deuteropathiâ, quid fugaci, quid recepto morbo ægrotet.

quis morbi focus, quid leuiùs perstringatur à morbo, num princeps aut publici muneris pars ægra sit. vbi hæreat morbus, an in abditis partibus, vel remediis expositis. Quod si de parte transactū fuerit, dum symptomata elucetia in oblato ægro, causæ, & morbi in vnum censum colligerentur, hîc excludi eius historia poterit. Itaque ex his thecis, suis quasi coloribus depingi morbi debent, de quibus consultatio instituitur. Cuncta autem hæc capita ex symptomatum accurato examine facilè intelligentur: vt, ex actionibus læsis, qualitatibus corporis mutatis, & excrementis fuis, aut strictis. Ex actionibus læsis, vt ex pulsu, ira, tristitia, metu, gaudio, vigiliis, somnis, motu corporis & animi; mentis constantia, & turbatione, imaginatione, cogitatione, memoria, respiratione. præterea ex appetentia, retentione, coctione, expulsionem, assimilatione, nutritione, venere, & cæteris animi corporisq. functionibus. Ex mutato excremento, in substantia, qualitate, copia, tempore, excernendi modo, loco, & ordine. Qualitate ex mutata, vt colore, caractere, & mole, molitie, duritie, sonis, odoribus, asperitate, lenitate, crassitie, tenuitate: & ex primis qualitatibus, vt calore: quemadmodū hæc lucidè in vsum vertimus capite huius libri tertio: ibi docuimus, qua arte ipse morbus deprehendi debeat. Sed cū innumeræ ex his fontibus notæ fluant, ab eo genere auspicandū erit, quod euidentiores præbet notas. Et, si res paucis signis ostēdi poterit, immediata solū & propria ponenda: ridiculum

Unde hæc intelligantur.

Unde inchoandū.

diculum enim rem conspicuam, plurium symbolorum euocatione, efficaciter probare velle. Vbi verò res obscura, lucem adfer per omnia genera eundo. Ea tamen cautione, vt vniuersum genus, ex quo orsi, excutiamus diligēter, ne pedem referre tandem ad eadem cogamur. Dein ad reliqua transibimus proxima, quæ eadem fide excutiemus. Quin vbiq̄ue rimabimur quænam ex his aptè in vsum propositæ historiæ duci possint: nō enim omnibus omnia apta sunt. Hactenus de morbo; nūc ad symptomata venio, quæ, ob insignē qua vehuntur magnitudinem, sui mitigationem efflagitant: quæ non notarū ideā consideramus, sed ab vrgente vi. Siue de his separatim, siue consociatis morbo transigendum sit, primum symptomatis explicetur natura, dein genera, differētiæ, causæ, & quid euenturum denuncient: & si læua, quo modo sint demulcenda. Primò itaque symptomatis genus exploretur, num sit actio læsa naturalis, vitalis, aut animalis: & quo modo sit actio læsa; num scilicet ea abolita, fracta, vel ita corrupta vt aliena ab officio faciat: vel an sit qualitas mutata, aut excrementū. Vt si prostratus iaceat homo ab Apoplexiâ: hîc quia nec sensus vllus, nec motus officium suum facit, animalis actio læsa erit, & adeo, vt omninò ablata & quasi intermortua videatur. Sin doleat quis: dolor cūm sit actio animalis læsa, vel saltem passio tristis operationis animalis facultatis, medicè ad deprauatam actionem animalem refertur. Nam qualitas rei dolorificæ impressa sen-

soriis instrumentis, communicatur sensui communi. qui sensus quasi testantur se affici eo modo, quo non deberent, & ea simulachra sibi insculpta adferre sensui cōmuni quæ non deberent, sed praua & à fine officioq̄. suo aliena. Hic autem sensus cōmunis indicat passiones factas in sensoriis, vnde affectio illa molesta nascitur in mente, quam dolorem vocamus: symptoma deprauati sensus. Secundò differentiarū enumerentur eæ, quæ in consultatione locū habent. vt, plurimæ sunt dolorum differentiarū ratione partis obsessæ, & materiæ morbificæ, vt diximus libri huius capite tertio. & quænam doloris idea hîc in vitio sit notandum. & num perennet dolor, vel potius periodicis recrudescat. & qua maximè morbi vel paroxysmi parte incrudescat, aut cadat dolor. vel num temerè incurrat. & an secum alia trahat, vt delirij metum à vigiliis. Tertiò, causa symptomatis peruestigetur. vt doloris proxima causa est solutio continui, quæ ex omnibus violentis rebus foris & intus inuadit. Ita Apoplexiæ causa est, spirituum animalium prohibitio ad neruos aditus. Euentuum autem vt incunda sit ratio, aperuimus, vbi de prognosi egimus. Hæc de symptomatis actionum: nunc ad excrementorum venio. Primò genus excretionis proponatur. vt num sudor, sanguis, bilis, pituita, pus, ichor, semen, cibus, lumbrici, pinguedines, fæces, ramenta, calculi, & cætera talia. Secundò, differentias proponemus ab excrementi substantia, qualitate, copiâ, excernendi tēpore, modo, & ordine: & per quæ loca

Symptomata cu.
ra.

Actionis
Symptomata
vt tra-
ctandum.
1.

11.

111.

Excretio-
nis Sym-
ptoma vt
tractan-
dum.

1.

11.

Ex substantia.

loca efferatur, & à quibus in quæ loca effundatur, num cōtinens pars in cōtentam elidat suos succos, vel è diuerso. Ex substantia; vt num ex naturæ lege se substantia habeat, vel monstri quid gerat. num purus putusque sit succus, vel aliis substantiis perfusus: hoc est, quænam in effusis substantiis differentiæ eluceant. vt si ex dysenteria laboret quis, videndū num sanguis merus, vel socia cum bile extundatur, aut putri cum pituita, pure, ramentis.

Ex qualitate.

Dein Qualitas in examē veniat: num excrementum calidum, frigidum, humidū, siccum: & secundæ qualitates, vt tactiles, num durum, molle; mordax; lentum, friabile: crassum, tenue: asperum, læue: Et visui expositos colores notabit, nū diuersis coloribus varium sit; vel vno colore conspicuum: odorem etiam notabit, num fœteat: quin si ore fundatur excrementum, quid saporis referat, num amarorem, dulcorem, falsedinem, acorem, & talia. Vt si in dysenteria, bili affusus sanguis feratur: ibi notabimus, num feruore suo vrat dū elabatur; num splēdeat atro purpureoue colore; & num bilis flaua sit, aut ichorosa: an graueolens. Copiam deinde excrementi notabit. vt in dysenteria, num repetitis vicibus, accisaque copia excretio fatiget: vel num valida sanguinis copia ruat. Excernendi etiam modū animaduertet, vt num flatu sonoro prosiliat excrementum; vel an leni promanet ductu: num confertim, vel repetitis excretionibus: & num modò liberali manu, modò accisâ effundatur copiâ: num facillè vel agrè efferatur,

Ex quantitate.

Ex modo excernendi.

prodromo vel consecrario cum dolore: vtrò num exigatur, vel ab arte: num cum signis pepasmi criticè, vel symptomaticè. ita num tussiendo expectorarit quid, vel sreatu, aut vomitu, affatim, sensim: vt, num in dysenteria affatim excludatur bilis, at sanguis lentè: & si à torminibus ilico excernatur sanguis, ex intestinis is effluit: sed bilis diu pòst euehetur, quia ab hepate totoque eliditur corpore. Quo tempore excernatur etiam rimabitur: vt num perpetuò effluat, vel periodis certis, aut incertis; num critico die: num in paroxysmis: & in qua morbi ætate; num recens, vel nuper nata affectio excretoria; & quando incubuerit, & quamdiu perennarit: & num alij morbo consecraria sit, vel ilico inuaserit. & quanto tempore excludatur excrementum, & num maior copia à pastu, per dysenteriam, elidatur. Ordo exclusionis etiam peruestigetur: vt, quid prius, quid posterius prodierit; quid simul: vel num nullus ordo in his seruetur, quæadmodum si in dysenteria primū ab intestino effundatur sanguis, dein bilis ab hepate. Examinabimus etiam per quas vias excrementum effundatur: num ei parti, vnde effluunt, *nat' i'z' rectoue* vasorum ductu respondeant: & num naturâ duce eò viam affectet humor: & an feratur per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea. vt si hæmorrhagiâ tentetur homo; inquiremus nū ea fiat per venas, arterias, hæmorrhoides. Quin etiam perlustrabimus à quibus locis in quæ transseratur humor;

Ex tempore excretionis.

Ex ordine exclusionis.

Per quæ loca.

A quibus in quæ.

num

vid. supr. pag. 31. a. u.

num à toto corpore in partem aliquam ruat, foras intus, sursum deorsum: in partem num se effundat principem, vel ignobilem, ægram vel fortem; internam, vel foris positam, vel alio sitam modo: in partem raram, vel densam; mollē, vel duram, aliāue ratione fabricatam; nervosam. ut si sedes sanguinem fundat: videndum num is ex hepate, liene, intestinis, vel ex toto corpore, ut in mutilis euenit, effluat. Tandem videbimus à qua idea, in quem characterē abeat excrementum: num eandem faciem præsentia gerant cum præteritis: vel in quæ mutata. Has classes sequemur, dum symptoma sit effusum præter naturam excrementum. lam de excremento præter naturam retento videamus quid dicendum. Eius erit illustranda substantia, qualitas, copia, modus & forma retentionis, tēpus, ordo, loci, & à quibus in quæ loca feratur. Substantiam suppressi excrementi examinabimus; ut, num retineatur vtile, aut inutile excrementum; alimentarium, vel excrementitium, totoque genere præter naturam. Quemadmodum si menses in menstrualis muliere, vbi nec ingrauidationis, aut inflammati aut peruersi vteri excusatio adferri potest, neque lactationis, vel antea acti morbi, supprimantur, toto genere præter naturam erunt: & quod diutius cunctatur in corpore, hoc peiori putredine afficietur sanguis ille. ita, inquit Hippocrates in coacis, dysenteria quæ *ἐκασίρας*, hoc est, intempestiuè sistitur, apostema facit in lateribus atque visceribus, vnde pleuritides, peripneumoniæ, hepa-

tis inflammationes, dum in corpore detentus nequam sanguis, in vastissimam putredinem abripitur. Qualitatem etiam excrementi repressi intuebimur: cuius generis sit: an ex iis quæ ad visum, gustum, odoratum, auditum, vel tactū pertineat. & num ea simplex, vel composita qualitas: & an toto genere præter naturam sit. Dein eius species, num sit valida, vel remissa qualitas. Copia etiam, qua excrementum retineatur, peruestigandum. Modus & forma retentionis etiā comperta sit: ut num sensim & per vices repressum fuerit excrementum, vel an confertim. Ita menses nullam naturam lege subito suū officiū negant: quin potius sensim, eoque filo quo adire in succi plena ætate cœperāt, ab initio moliri in affecta ætate debebant. Et perlustrandum quā abierint formā: ut num cum euphoria, criticè, vel symptomaticè: num facile, vel agrè retineantur: κατὰ ἀποσπέρσιν, vel non: an nonnunquam emicent, vel repressa in corpore abundantur. Tempus etiam notandum quando solemnis aliqua vacuatio cohiberi cœperit; & num per interualla redeat, vel non: & nū vi morbi, vel vltro repressum fuerit: qua morbi ætate intercipi cœperit: & quamdiu iā substiterit. Ordo suppressionis etiam in aperto esse debet: ut si plurima excrementa exitum non habeant: quid tūc primò, quid deinceps suppressum fuerit. Loci quoque animaduertendi corporis in quibus illa retinentur: ut num toto fundat se corpore, vel num in parte aliqua stabulentur. Tandem notabimus ex quibusnam partibus in

Qualitas.

Quantitas.
Modus retentionis.

Tempus.

Ordo.

Loci.

Ex quibus locis in quibus.

In quid mutetur.

De excremento retento.

Substantia.

quas fiat translatio recrementi. ut si
 supprimatur dysenterica effusio
 bilis quæ à toto manabat, & spas-
 mum, febrim, delirium, succedanea
 habeat: hæc euenient, quòd ad ca-
 put, neruos, & cor transferatur in-
 quinatam hoc excrementum. Ha-
 tenus examinauimus quo modo
 symptomata actionis læsæ, & ex-
 crementorū sint perlustranda: iam
 ad vltimum genus symptomatum,
 quod in qualitate mutata, accedo.
 Hic expendemus cuius hæc quali-
 tas sit generis, & speciei. Genus,
 quale id visu, gustu, odoratu, audi-
 tu, vel tactu percipiatur. an simplex
 vel composita sit qualitas: & num
 toto genere extra naturæ lineam
 abierit. Species qualitatis, ut, quàm
 valida sit: quis inuasionis modus,
 num subito inuaserit, vel pedeten-
 tim irrepserit: & quo tēpore efflo-
 ruerit; num nuper, vel olim obnata:
 & quo morbi tempore: num suc-
 cedanea morbo sit, & cui, vel num
 ante morbi insultum adfuerit: num
 fixa stabilisq. perseueret, vel num
 vaga sit: si fugax, quo morbi & par-
 oxyismi tēpore elucescat: num criti-
 cis diebus explendescat, aut decre-
 scat: an tunc efferetur cū excremen-
 ta non exiguntur, vel è diuerso: &
 ex quibus in quæ serpat: & an qua-
 litas naturæ genio peculiaris, longè
 à sua natura degeneret: præterea
 quasnam partes occupet qualitas
 mutata, publicas vel priuatas, &
 quot: & num æquè cunctas affli-
 gat: in qua parte primùm enituerit;
 & à qua parte proficiscatur.

*Repetitio:
 & alia
 causarum
 sympto-*

S E D quia nunquam satis dici-
 tur, quod nunquam satis discitur,
 lubet iterum stylum reuocare ad

symptomata, & alium campum ad
 noua curricula aperire: ut polydæ-
 dalâ quadam varietate liceat con-
 sultationes easdem in diuersas ver-
 tere facies: utque is qui tertio vel
 quarto loco dicet, non priorum filo
 ignauè duci videatur. Et mirâ gra-
 tiam, causarum remotarum & vici-
 narum symptomatum subtilis se-
 rieque ducta peruestigatio, consul-
 tationibus afflare solet. Quare iam
 iterum, sed alio ductu, actum aga-
 mus, at, ut spero, annuentibus gra-
 tiis; & de causis remotis & vici-
 nis symptomatum, quibus argu-
 mentis illæ deprehendantur, enar-
 remus. Symptomata sunt triplicia;
 in actione læsa, excrementis, & mu-
 tata qualitate. Horum causæ qui-
 bus notis inuestigandæ sint, iam vi-
 deamus: ab illis orsi quæ ad actio-
 nes pertinent. Hæ causæ ducuntur
 à facultate, (quæ actionis est causa)
 instrumento (quo fit actio) com-
 muni, vel proprio; agente (quod
 lædit actionem) materia, subiecto,
 causa sine qua non, sine. Primò ita-
 que elucet causa symptomatis ab
 affecta facultate ipsa, quæ actionis
 alioqui probæ causa esse solet: dum
 perpendimus quænam causa illam
 in tale symptoma abripere consue-
 uerit. Ut si animalis soluatur motus
 & sensus: id ex materia ignaua, &
 frigida humidaque erit, quæ robur
 neruorum soluit, aditumque spiri-
 tibus quæ intercipit; vel ex eorum
 angustia, ex pressione incumbentis
 molis; aut obstructionem faciente
 materia: talis est pituita, vel melan-
 cholia. Sin in motum deprauatum
 concitetur facultas, ut per deliria, à-
 bile erit, vel acri succo: si mæror &
 metus

*matū in-
 dagatio.*

*Actionis
 symptom-
 matum
 causa.*

*A facult-
 tate.*

metus adfit, à melancholia erit. frequēs si incidat lipothymia, facultas vitalis oppressa, indicat se à venenata aura oppugnari. Secundò conspicua redditur causa symptomatis ex instrumento per quod demittitur ipsa facultas, & quo fit actio quæ iam læditur. Hic itaq; notamus, quænam causa sit quæ hoc instrumentum in tale abripiat symptoma. Quemadmodum si instrumentum commune, vt calidũ natium, titubet, quod cùm sit coctio- nis auctor, cruditatibus & flatibus percellitur; & cùm nihil exhaustur, inappetentiam consecutariam habebit. Vel proprio affectu instru- mento fiunt symptomata: vt neruo resolutò, vel abscisso, vel obstructo appetentiã fraudabitur homo: & sensu & motu. Ita nutritio non fiet obstructis venis: nec viuet pars arteriis infarctis. Tertiò modum ac ideam symptomatis perpèdemus, vt ex ea facie agentem causam deprehendamus quæ talis symptoma- tis auctor esse solet. Vt num talia à calore, frigore, humore, vel siccitate enascantur: & quæ res non natura- les, & naturales promptè præbeant & ferant talia symptomata. Vt si calidum natium non rectè miti- get cibum, nec digerat & exhaustur per corpus, si ocium nihil exequat, & reliqua si segnescant quæ à natura primordiis & aduentitiis rebus corpus inanire solent, appetitũ pro- sternent: argumento sunt res cun- ctæ his contrariæ, quæ alacres in ci- bos facit. In his illud obseruabile est, vt perpetuò ab immediatis ad eas quæ sunt à suis effectibus re- motissimæ (cùm iam deprehensæ

fuerint) excurrat oratio: nã inuenta & ablata effectrice causa quæ cæte- ras primùm cõcit, cæteræ conse- ctariæ cū sociis morbis & sympto- matis delentur. Vt si quis colicis à doloribus fatigetur, tensis intestinis sine pòdere, quod nobis argumẽto erit id oriri à crudis flatibus: qui gi- gnuntur, quia rectè non coquuntur ea quæ ingeruntur: non coquuntur, quia fructus crudi plenã manu in- geruntur, & in ocio vita hos non vincit. Hic qui velit medicinam re- ctè facere, fructus & ociũ auferat: dein conceptam materiam expur- get, & intestina ventriculumq; ro- boret. Et, ex his patebit quæ sit cau- sa colici doloris: cùm enim crudus succus; igitur non venenum, nõ bi- lis, nec inflammatio, aut sensus ex- quisitior, nec ob aluum strictiorem, aut intemperiem. Sed ad rem ip- sam: itaque ex symptomatis idea causam morbificã captabimus. ita bilis sanguini intermixta acerbio- rem dolorem præbet, quàm si pi- tuitosus id ageret sanguis: at vene- num acerrimi doloris auctor esse solet. bilis mordendo: flatus ten- dendo: materia grauando: flatus, si- ne socia grauedine dolores inue- hunt. Materia etiam prodit proxi- mam symptomatis causam; vt si luxuriet toto corpore viscosus suc- cus, deinde langueat mole, colore, & sensu pars, non vana suspicio erit crassam materiã, interceptis meati- bus, aditũ excludere spiritus ad ar- tus, quos alioqui nectare illo viuifi- corigarent. Quintò causam vena- bimur symptomatis ex subiecto in quo hæret symptoma, ex quo intel- ligemus quam ex causa maximè

Ex in-
strumento.

Ex agen-
te.

Notandũ.

Ex mate-
ria.

Ex subie-
cto.

in tale symptoma at auci soleat. vt si appetitus fractus langueat, erit sine dubio ventriculi os in vitio, & maximè hoc illi euenire solet, à pituitosa qua occupatur materia; vel si maligna adsit febris, ab aura veneno delibuta, vel à prauis succis, aut temperie vastata. Sed quia ventriculus ad publicum officium facta pars est, in qua vis facultatis illata, tanquam in proprio instrumento exercetur, notandum erit, num facultas accisa, aut intercepta eò non feratur; vel quia totum reliquum corpus non exhauritur, num inde sit hæc profecta molestia. Et causa varij doloris est subiectum varium: nam aliter dolet neruus, aliter membrana, aliter caro, cum à bile, vel alia causa occupantur. *Causa sine qua.* Causa etiam sine qua non læderetur actio à tali causa notanda erit: & etiã causa cù qua. vt sensus quamuis dolorem non faciat, sine eo tamen dolor gigni nequit: vt os si affligatur, non dolebit. *Finis.* Finem in his si velimus; videbimus quid tali symptomati consecretarium sit. vt à doloribus fiunt acriores succi, hinc vigiliæ, deliria, & mortes: quare perpendemus in quosnam euentus abducere rem soleat illud symptoma: & illi euentus quam agnoscant causam. In his omnibus perpendemus quot modis quæque horum in vitio esse possint, & quod rationibus ab aliis labefactari, & à quibus possint. Et quotuplicia sint ea quæ iam in hac historia tractas: etenim non omnes hi loci in cunctis symptomaticis locum habent. Et contraria etiam enumera: vt vnde natura recroetur. & neoterismum faciat: &

vnà dicas, quidnã id sit, quod cum eo, quod à te positum est, pugnat. Primum itaq. definias symptoma, vt eluceat quidnam illud sit: vel immediatam, id est, coniunctã eius causam expone, & eam sine qua non. Quemadmodum si doloris causam rimari voluerimus, dicemus, cum dolor sit perceptio rei naturæ tristis, necesse itaque est vt duæ adsint causæ ad eius fabricam, nempe perceptio, & id quod percipitur. Perceptione opus est: nam qui non percipiunt, vt his euenit quibus mens ægrotat, quamuis doloris causa adsit, dolorẽ tamen non sentiunt: opus enim est facultate, vt sensu cõmuni iudicante: & causã sine qua non, vt sensu peculiari; & instrumento, vt neruo; & subiecto, vt carne vel mēbrana: ita idæa dolorifica rectè feretur ad sensum communem. Quemadmodũ si os frangatur, non dolebit homo: quia non sentit, nec inde sensus ideam concipit quam perferat ad communem sensum: nam in osse sensus abest. Ita si effœta fuerit neruorum vis, ad eò vt sensifica vis ad partem, quæ doloris causam habet, non traducatur: sine neruorum beneficio non fiet sensio; quemadmodum in paralyticis euenit. Præterea opus est causa dolorifica à qua sensus afficiatur, qui acceptam ideam ad sensum communem transferat, quò illam percipiat. Nec satis est ad efficiendum dolorem vt sensus afficiatur, sed à causa dolorifica necesse est vt id fiat. Causa autem dolorifica est omnis illa quæ violēter affligit sensum, & affatim quæ incurrit, ita vt laceret continuum: vt calor, frigus,

frigus, dura, graua, crassa, pungentia, incidentia, vulnerantia, erodentia, tendentia. Præterea opus est vt id quod afficitur à causa dolorifica, sit subiectum quod sentire potest; non autem os, quod non dolet. & instrumento etiam opus est; vt, si sentit, opus erit neruis: si nutrietur, venis: si viuet, arteriis. In dolore itaque facultas iudicium dabit huius causæ dolorificæ quæ ita sensum affligit, & quæ peculiariter illam functionē, nempe animale, non autem vitalem, aut naturalem: vt scilicet eam perceperit, acrem, quæ à bile: obtusum, quæ à pituita: tendentem, à flatu, vel à copia: ardentem, à retorrída materia, & à causa calida. Ita examinari debēt ea symptomata quæ in actione eueniunt: iam de his symptomatis quæ in excrementis fusis, vel retentis. Eorum à coniuncta causa orsi, ad omnium causarū inuestigationem proficiscemur. Vt si retineatur quid præternaturā, iustrabimus quid illud sit, & causam efficientem notabimus, vnde siccus minusque meabile illud fiat, & cur parcius effluat: num à facultate corporis rebusque naturalibus non ritè compositis, aut ritè temperatis: vt qui habent diaphoreticum corpus, aluum habent siccum. Et instrumenta quibus ad excretionem opus est num afficiantur: vt renes calculis, inde sistitur vrina: vel suis modis vesica in vitio est: vel transfertur vrina ad aluum: vel sudoribus excluditur. Præterea animaduertemus vnde illa ita lædantur in hoc symptomate quod tractamus; & quæ sint causæ sine quibus nō: vt si ille cui tardat aluus,

sederit in saxo frigido: & materia si non præsto sit, vt bilis, ad alui deiectionem. Subiectum; vt intestinum si peristaltico motu feratur. Causa sine qua non, vt expultrix si titubet: & vnde ea plerumque langueat. Instrumentum, vt si venæ in lotium materiam abripiant, ita aluum vehiculo fraudabunt. Facultas si languet ita vt non appetat, non fiet excretio, materiæ excutiendæ inopiã. Exemplū ponamus vrinam interceptam: Hæc non emanat, quod nullus liquor in vesicam labitur: id fit vel quia potum non ineunt, aut longè quàm decet parcius: potus autem inappetentes sunt, quod sint sitis expertes, ob læsam facultatem: illa autem læditur, solutã ventriculi temperie: quod in hoc symptomate fit ab humore & frigore. Vel quamuis potent, quia accipiunt liquorem minus vrinalem, qualis est Gedana ceruisia. Vel instrumenta in vitio sunt, vt obstructi à calculis renes, vel vesica: vel si renes non trahant: aut si omnes venæ à siccitate conuiueant. Aut causæ agentes talem pariunt siccitatem, vt nihil ad renes alluat, sed omnis mador tenues euanescit in auras: & transfusione in sudores, aut alui fluxum abripitur: vel mitior vrina non stimulat vesicæ excretricem vim. Causa autem sine qua non: vt si in repressã vrina sphincter vesicæ validissimè conuiueat: vt ab inflammatione vel quod diu in saxo frigido sederit. Subiectum, vt vesica, quæ soluta acrimoniam pungentē vrinæ non sentit; languetque eius excretrix. Excrementum autem si fundatur, etiam suas causas habet, vt faculta-

Subiectum.

Causa sine qua.

Instrumentum.

Facultas.

Exemplum.

Excrementorum symptomata.

Causa repressi excrementi.

Excrementum fustum.

Facultas. tem irritatam excretricem, vel labefactatam cōcoctricem, quæ non digerit: vt si hepar non trahat morbo implicitum, nec ventriculus coquat: aut labefactatā ex cretricem.

Materia. Materia etiam vberior studet huic copix; vt cū aliunde affunditur

Efficiens. materia. Efficiens quoq. causa fecunda interdum est in hunc excrementorum luxum: ita potus liberalior, & auster vrinam augere solēt.

Subiectū. Subiectum etiam quod talia excrementa excipit, eorum ad incrementa facit: vt intestina ab intemperie fracta non retinent sibi concredita excrementa. Instrumenta his adde:

Instrumenta. vt si fuerint venarum viæ laxæ, vbertimam vrinam profundēt renes: si strictæ, aluus liberaliūs se in fluxum præcipitabit. His iunge causas sine qua non. Vltimò causæ qualitatū præter naturæ legem mutatarum restant. Vt si quis in cute nigras cum duritiæ maculas habeat: coniuncta causa harum erit succus melancholicus in cutem effusus. *Facultas.* hinc poterit in vitio esse, quæ non excreuit à sanguine talem succum: vel quod copiosius talem generarit: aut alioqui facultas eum, iam secretum, eò ablegauit. Efficiens causa eius succi est lienis titubans vis, quæ non rectè crassiorem sanguinem exsugit, ob intemperie. vel si quid assumptum fuerit quod in nigredinem postea abripit sanguinem inde genitum: vt qui à carne indurata genitus est sanguis, postea talem characterem trahit, dum in remotas partes abiit.

Qualitatum mut. causa. Materia est sanguis crassior. *Causa sine qua.* Cause sine qua non, est succi grauitas & crassities, cui excretrix non est par;

quare aluo excuti nō potuit. Instrumenta: quia illæ viæ per quas efferri deberet ad intestina, sunt infarctu interceptæ. Subiectum: vt crassiuore tinctum: eò quod excussa fuerit materia, ob partis excipientis imbecillitatem. Hactenus monstrauimus quibus indiciis, morborum & symptomatum essentix & differentix deprehendantur: iam ordo nos trahit vt ex quibus thecis symbola causæ morbificæ, & deinde symptomatū trahi debeant doceamus. res vtilis curationi & præfagiis. Rimabimur itaque quænam sit morbi causa formalis, efficiens & instrumentalis, materialis, & vbi nam sit eius focus, causæ cum quibus, & causæ sine quibus. Et quemque morbum in suam causam refundemus. Formalem itaq. in primis aucupabimur causam morbificam: vt, num illa peculiariter moderationem partis soluat, vt siccando, indurando, cæterisque qualitatū ideis. aut totam corporis œconomix substantiam labefactando; vt aura illa Babylonica: etenim apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ vetustatis arculam quandoque compertam legimus, ex qua conscissa vis pestilentis ac perniciosissimi aëris sese profunderit, vt difflatus nō eos modò qui aderant, venenosâ ac lethali infectos tabe conficeret, sed pestifera incredibiliq. potestate grassatus longè lateq. etiam Parthos afflaret. Refert etiam Ammianus Marcellinus M. Antonini & Veri temporibus, apud Seleuciam post direptum templum & perlatum Apollinis simulachrum Romam, fuisse à mili-

Facultas. hinc poterit in vitio esse, quæ non excreuit à sanguine talem succum: vel quod copiosius talem generarit: aut alioqui facultas eum, iam secretum, eò ablegauit. Efficiens causa eius succi est lienis titubans vis, quæ non rectè crassiorem sanguinem exsugit, ob intemperie. vel si quid assumptum fuerit quod in nigredinem postea abripit sanguinem inde genitum: vt qui à carne indurata genitus est sanguis, postea talem characterem trahit, dum in remotas partes abiit.

Qualitatum mut. causa. Materia est sanguis crassior. *Causa sine qua.* Cause sine qua non, est succi grauitas & crassities, cui excretrix non est par;

quare aluo excuti nō potuit. Instrumenta: quia illæ viæ per quas efferri deberet ad intestina, sunt infarctu interceptæ. Subiectum: vt crassiuore tinctum: eò quod excussa fuerit materia, ob partis excipientis imbecillitatem. Hactenus monstrauimus quibus indiciis, morborum & symptomatum essentix & differentix deprehendantur: iam ordo nos trahit vt ex quibus thecis symbola causæ morbificæ, & deinde symptomatū trahi debeant doceamus. res vtilis curationi & præfagiis. Rimabimur itaque quænam sit morbi causa formalis, efficiens & instrumentalis, materialis, & vbi nam sit eius focus, causæ cum quibus, & causæ sine quibus. Et quemque morbum in suam causam refundemus. Formalem itaq. in primis aucupabimur causam morbificam: vt, num illa peculiariter moderationem partis soluat, vt siccando, indurando, cæterisque qualitatū ideis. aut totam corporis œconomix substantiam labefactando; vt aura illa Babylonica: etenim apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ vetustatis arculam quandoque compertam legimus, ex qua conscissa vis pestilentis ac perniciosissimi aëris sese profunderit, vt difflatus nō eos modò qui aderant, venenosâ ac lethali infectos tabe conficeret, sed pestifera incredibiliq. potestate grassatus longè lateq. etiam Parthos afflaret. Refert etiam Ammianus Marcellinus M. Antonini & Veri temporibus, apud Seleuciam post direptum templum & perlatum Apollinis simulachrum Romam, fuisse à mili-

*Instrumenta.**Subiectū.**Causa morborū vt inter-noscendā.**Formalis.**Historia mira.*

à mili-

à militibus inuentum angustum foramen, quod prius Chaldaeorum vates occlusissent. Eoque militari auiditate reſerato, letiferum atrocemque adeò vaporem exſiſſiſſe, vt funeſtum malū ac teterrimum à Perſarum finibus in Gallias vſq. furens ſit debacchatum. mira cauſa lethalis ſubſtantia. Interdū conformationem vel magnitudinem partis violat formalis cauſa morbi: vt tumoris cauſa proxima in inflammatione eſt, pororū à ſanguine peruasio, quæ non ſimplicem phlogiſin, ſed phlegmonem præbet. Adhibebimus etiam mentem ad cauſam efficientem: quò exploratum nobis ſit quid morbum procreet, augeat, conſtituat, foueat (vt impuritas corporis) & ad incrementa prouehat: & quid illam frenet ac tollat: vnde cauſa nata, & quæ eius occaſio: vt tertianam febrem bilis procreat, hanc auget aromatum vſus: & eam fouet ſtrictior aluus, & æſtu flagrans cælum, ira; quin etiã conſtitutiones cæli extraordinariæ, vnde, vt mox dicemus, τὸ θεῖον illi in eſſe poterit. Ad hanc cauſam etiam pertinent res ex primis naturæ primordiis nobis ingenitæ, vt temperies, habitus, humorū dominatus, ætas, ſexus, animi mores. & res non naturales, vt diæta, conſuetudo, & talia quæ cauſas morbificas & earum vim monſtrant. Expendemus etiã quænam materialis cauſa morbifica in vitio ſit: vt viſcida materia copioſa, diuturnam querelam adfert: crapula: nam à rebus nō naturalibus harū cauſarū idea etiam elucet. & etiam animū adhibebimus, vt intelligamus, vbinam hu-

ius materiæ ſit focus, & quodnam ſubiectum ſit, in quo morbum committat: vt catarrhi materia in capite, præcipitat ſe in artus imbelliores, vnde arthritis; vel in pulmones, vnde aſthma. Animò etiam iſtrabimus cauſas cum quibus aliæ cauſæ conſiſtunt, & cum quibus genitus antea eſt morbus, & nunc augetur, perſeuerat, vel minuitur. Perſeuerat: vt ſi catarrhus cum capitis intemperie frigida & humida moleſtus eſſe pergat, à frigido cælo, quod iam etiam perennat, enata: ita à cælo calido genita febris, qui calor ſi perſeuerarit, morbum inflammabit. Minuitur: vt textura rariorem demittit facile per febres; in corpore etiam ita diaphoretico nil ampliùs locis afflictiſ allabatur facile. ita iuuenis robuſtis lateribus, pleuritide felicitiùs defungitur effecto ſene, qui fractis lateribus fortiter expectorare nequit. Expendemus etiam cauſas ſine quibus aliæ cauſæ non conſiſtunt: vt, arthritis non fieret, niſi ductuum laxitas, per quam ſe præcipitat materia, ad eſſet: nam inde artus imbelles redduntur. ſit autem hæc laxitas ex aſſueta humorum incurſione, quæ pandit venas ac meatus, qui poſtea patent ex perpetua aſſuſione. Et in ſingulis hiſ cauſis, ab immediatis ad remotiſſimas eſt abeundum, per intermedias. Silentium tamen hîc ſit de omnibus morbificis cauſis: ſed ſolum recensuſ fiat earum, quæ ad hunc quem tractas morbum faciunt: & veras eius cauſas tantum rationibus aſſerere nitariſ. Et tunc certarum genera conſtituantur, à quibus maximè effectrices cauſæ & materia-

Cauſa cum quibus.

Cauſæ ſine quibus.

Efficiens.

Mater. cauſa.

materiales sumuntur. Tandem quo modo singulæ causæ, & maximè effectrices, suam vim exercent demonstrabimus; num per se, vel per aliud, ut aquilo exprimendo, auster laxando catarrhos mouet: num id agat suâ substantiâ, vel qualitate, copiâ, & quo ordine, agendi que modo, & tempore, atque mora: an idiopathia, vel sympathia, an ut propria vel communis: an ut interna, vel externa, coniuncta vel remota. Sed, ut dixi, in singulo causarum genere progressus fiat ab immediatis causis ad remotissimas, per alias interiectas. Ut inflammationis costalis membranæ proxima causa est ille humor qui ibi tumore creat. ille autem humor vel congestione ibi coaceruatus fuit, vel aliunde influxit. Congestione si enatus fuit, hæc peperit lateris imbecillitas, quæ in nutritum non vertit succum alibilem quo ex naturæ lege alluitur latus, imbecillitatis causa est, vel natia iniuria, aut à morbo impressa calamitas anteacta, aut ictus, casus, vel tale quid, ut externum frigus. Sin influxione eò præcipitetur succus, hoc fiet, vel quia orgasmo fertur, aut quia pars robusta excutit eum in latus imbecillum, vel quia latus dolore tactum, attrahit succum, orgasmo fertur, quia aliqua causæ præcessere quæ efferarunt illum succum, & indomitum reddere; quemadmodum biliosi si inebant plenum aromatum ac vini generosi usum: exercitium, & cetera si accesserint calfacientia. Pars robusta autem excutit pleniorē aut stimulantiorē succum: talis autem ille euadit ex plena manu ei-

borum, ac acrium copiâ. dolet autem ex violenta incurfione, unde eius abrumptur consociatio: talia sunt remedia foris imposita calida, ictus, valida intemperies partis. vel ex euentu sæpè latus ruentem accipit succum: ut cum aquilo hunc exprimit, contractis aliis partibus, in latus, ex succi pleno corpore; quod latus exceptioni aptum, hoc est imbecille, facillè occupatur. ibi que putrescens succus arterias in calorem abripit, hinc febris. Hæc de causis, quarum indolem si breuius intelligere velis, ita accipe; Primum cogita de internis, & ante omnia de proximis, deinde externis. Et de internis, num sint ex primis naturæ primordiis ingenitæ, vel ascititiæ: quæ princeps causa, & quæ sese consocians, & iuuans: & quæ sint eæ causæ sine quarum opera morbus nõ effloresceret. Ut vrat ægrum erysipelas: hinc aëris strictior vis ex euentu causa erit: at si à calido aëre obnatum fuerit, hic aër per se causa erit: verum princeps causa est alluens bilis: causa adiuuans erit bilis leptomeria: causa sine qua non, meatuum laxitas: si pars natali abortu infirmior fuerit, erit causa ingenita: quæ alioqui ascititia erit. Cautio hinc adsit, ut fugiatis causarum partitionem: quia hinc non docetis eas, sed vsui admonetis. Adhibenda etiã mens & attendendum, num, ut loquitur Hippocrates, *7/ Δείον ἐρεσθῆν ἐν τῆσι νόσοις: an adsint abditæ & occultæ causæ, ut venenata, pestifera, & contagiosa. Sed ut hoc obiter dicam (ne ab occultis viribus fluctuet consultatio) hoc **DIUINVM** non ita accipiendum ut qui-

Anaco-
phala ôsis
de causis.

Cautio.

* H. c. est
dicitur
quid in
morbo.

Contra
conculas
qui fu-
giant ad
vires.

vt quidam recentiores explicant, esse quoddam latens quod veteres ignorarent: imò docet Galenus nihil Hippocratē ignorasse, ne rationem quidem dierum criticorum: in quo sanè tanta fuit benignitas, vt nihil sciuerit quod nos ignorare voluit: & tanta in beatissimo illo ingenio solertia, vt nullus post eum sciuerit quid magni, quod ipse ignorarit. Hic medendi præceptor libro De morbo sacro, negat quicquam diuinius esse in epilepsia quàm aliis morbis. Atque in eo libro explicat omnes causas huius morbi, quomodocumque eueniat, idiopathiâ, aut deuteropathiâ: & tandem addit, tertianam esse magis diuinam quàm epilepsiam. Refert quidem licet omnem morbum ad iram DEË, sed adsunt causæ naturales, quæ medici prudentiâ arceri possunt, augeri vel diminui. Ita, inquit Hippocrates, omnia diuina sunt: nihil enim sine diuina natura fit. Quare Hippocrates in hac voce vtitur politico loquendi modo, ex vulgi consuetudine. Diuinum vocat insolitam aëris malignitatem: vt quando tempestates non tempestiuè fiunt; vnde epidemij morbi nascuntur, ita videmus febres natas ab aëris extraordinaria intemperie, difficiliore esse his, quæ ex diætæ vitio & obstructione primordia ducunt. Quare materia morbifica indomita & pepasmi expers, ab aëris fœditate coinquinata, habitaculum huius diuini est. Vt si oculi æstu flammeo in rubedinem torreantur ab incubitu bilis: huius tædij caput ac princeps causa est bilis: consocians suamque operam

Exemplum
in causis.

illi præbens, est biliosæ materiæ in fluxum præceps tenuitas. causa vero sine cuius ope se non effunderet materia in oculos, est meabilis ductuum laxitas. sin oculorum, à primis primordiis vitæ, fracta fuit œconomia, à genio insertum hæret vitium: & corū vis labefactari potuit à morbo, ictu aut casu. interdum ab epidemia, aut endemia quadam contagione ortum nanciscitur: vnde Lucretius libro sexto:

*Attide tentantur gressus, oculiq; in
Achais*

*Finibus: inde aliis alius locus est
inimicus*

*Partibus, ac membris: varius con-
cinnat id aër.*

hîc occulta causa adest, ab extraordinaria aëris constitutione. Verùm in consilium cunctæ hæ causæ non sunt vocandæ, sed de ea solùm agendū, quæ hîc in vitio est: hæc enim, vt sæpe iam monui, curationis, non scholæ palæstra est. Postea agendum de victus ratione cui æger assuevit, de ætate, regione, cæli statu, sexu, animi moribus, & cæteris talibus quæ corpus mutant: vt inde humorum dominatus elucescat: vt etiam cunctæ causæ procatarticæ, vnde tale genus morbi enasci solet. & pars affecta inter causas poni potest. Postea perpendendum, si in morbi historia id omissum fuit, per quod sui decursus tempus morbus labatur: de quo antea satis egi. Postea notabimus quid inter morbos, causas morbificas, & symptomata vrgentius sit: quid causæ locum occupet, sine cuius ope non premeret morbus, & quid sit effectricis causæ loco. Hæc de causis. Hinc indicationes

Indicationes.

cationes curatiuas in hoc theatrum inferemus, ex natura affectuum morbidorum productas. Interdum his cōsociabimus vsu comperta, ac analogismo deprehensa remedia; maximè in abditioribus malis. Sed num productæ in proscenium indicationes ad portum ducere liceat, indicabit prognosis: quæ ex robore affectuum morbificorū, ac rerum naturalium opibus, quam in partem inclinatura sit victoria indigabit. Si malum auxiliares manus non tenuit, Medici officium erit (nihil inam exercere velit) sollicitè perpendere cui primò, & cui denique manus adiutrices porriget. Prima acies perpetuò dirigatur in vrgentius malum: & si illa sint varia, primūm occurrendum ei quod efficientis, & conseruantis rationem habet. hæc facile fient, cum primūm examinaueris quid conseruantis effectum rationem gerat, & quid habeat rationem causæ sine qua non. Secūdo debellabitur causa sine cuius expugnatione pessundari morbus nequit. Vltimò de diætâ distinctim agemus: nam in eius laudem dicebat Hippocrates, si illa exulta non esset, nec reliqua Medicina foret. Deinde transigemus de chirurgia, an vena secanda, & quæ, quo tempore, & qua copia eliciendus sanguis: de cucurbitulis cum vel sine scarificatu: de arteriotomia, hirudinibus, vinculis, cauteriis. Tandem de pharmacia, an leniendū, præparandum, sursum vel infernè purgandum, vrina aut sudor eliciendus. Vltimò de corroborantibus intus & foris: de masticatoriis, gargarismis, phœnigmis, si-

*Prognosis.**Auxilia.*

napisimis, dropacibus. Hac iam dicta serie plerumque consultationes ducunt. verūm ita inducta remedia ægrè cunctis causis morbificis, nec cunctis affectibus, dum feruntur per varia cursus sui tempora, ascribi poterunt: aduertendū enim in cunctis est, cur talibus auxiliis indulgendum sit, & quanto tempore. Quare certo ductu pulcherrimum agendi hoc filum trahemus: & ita hanc telam exordiat: Quia affectuum nobis propositorum natura, genera, differentia, causæ, & euentus in consultatione hac sunt inuēta, adeò vt nihil supersit quàm vt quæramus agendi rationē. Cū autem medendi omnis ratio dimaret & transigatur certis quibusdam notis, has lucidè cōmodaque serie ita consiliis inferemus, an sit agendum: quid agendum: quo remedio vtendum: quali remedio curatio sit ineunda: quā copiā: quo modo: quo tempore: quo ordine. Perspecta itaque affectus præter naturam hîc iam tractandi indole, Primò inquiremus **NUM AGENDVM** id quod suadet affectus morbificus: hoc est, num sit suscipienda curatio. Hoc indicabit materia neoterismi capax, vel eius experts: & instrumentum quo vtendum, si adsit: & num natura agat, quò ei manus dentur auxiliares. Si itaque affectus de quibus instituitur consultatio, non omnino deplorati sint, nec tamen tam exiles vt eis natura par sit; propugnationem à medicis petent. Attamen pietatis officium est medicinam nulli negare, ne quidē de quibus desperatum est: ad solatium enim æquè medicina facit. Pulchrè

*Ratio Agendi certa.**Series.**AN agendum.*

id

id Hippocrates libello De arte, & Galenus decimo Methodi ab hectica exhaustis medicinam facit: sed tamen generosis remediis non utendum, vbi iam fractæ vires languent; nam hoc esset restibiles vires pessundare: vt purgantibus, aut sanguinè educantibus: vnde certa medicis infamia, & optimis remediis pessima nota. sed roborantibus, in temperiem flectentibus, ac symptomata mulcentibus vbique vtilicet. Prognostica autem signa de euentu certiores reddent medicos.

QVID AGENDVM Secundò perpendemus *QVID AGENDVM* sit. Hoc dicent causæ morbificæ, morbus, & symptoma vrgens: nam contrarium sibi remedium indicant. Et primum duce ex rei propositæ natura: vt ex Viribus, quæ tutelam sui petunt: & aperient nū nutriendū: nam illud loquetur virtutis natiuæ vis, & morbi cōstitutio, hoc est, natura rei quæ præter naturam adest. Quod enim extra naturæ lineam adest, sui ablationem exigit: vt euenit in affectibus quorum hyperaxis in materia hæret: quemadmodum in catarthis humorum ruentium adest fluxio, causæ rheumatum, rheuma consistens, consocians se febris & eius causa. Hic ab eo quod vrgentius est, erit auspicandum: dein ab aliorum causa effectrice. & rursus in ynoquoq. ex prædictis quæret, quæ & quot auxilia adferre oporteat, vt num fluxio reuellenda, deriuanda, vel vtroque remedio num compescenda: causa fluxus si sit dolor, sedetur: si orgasmus humorum, euacuentur: si pars accipiēs fractior fuerit, roboretur. sed rheuma con-

sistens, hoc est, id quod influxit, exhaustionem petit: febris autem frigora postulat: causæ verò febriles obstruentes, aperientia: crassæ, tenuationem: viscidæ, absterisionem: crudæ, coctionem: contaminatæ, euacuationem. Hinc itaque elucet quæ & quot efficienda sint ad affectuum debellationem: nam inde etiam patebit (inuentis iam variis affectibus) quādo in aliam faciem remedij idea sit mutanda. hinc surget maxima remediorum varietas. Etenim quoties in singulis iam dictis affectibus aliquid est molendum, toties res non naturales erunt percurrendæ: vt, dum fluxio cohibenda: iterum, cū causa fluxus abscindenda: rursus, cū febris eiusque causa abigenda. Ita tamen hæc ducenda, vt generosissima remedia primò vsui inferantur. Vt si fluxio sit cohibenda; & iam comperitum sit cohiberi eam reuulsione vel deriuatione: notabimus quid inter ea quæ assumuntur, adhibentur, geruntur, educuntur, aut retinentur, eam vim gerat. Quemadmodum inter admoquenda, tali vi valent vincula, frictions, dropaces: inter agenda, exercitatio, ambulatio. deinde ad remedia eundem erit, & perquirendum num quid inter illa sit, quod hanc vim habeat: vt inter ea quæ vorantur, bibuntur, iniiciuntur: quarū seriem libro primo prodidimus. dein cogitandum de alterantibus, euacuantibus sensibilibiter, & occultò: à toto, vel parte, quod fluxioni medelæ sit: & id solum in consilium adducemus, quod proposito malo opitulari potest. vt tumor indicat sui ablationem: si du-

Gal. 5. de
sanit.

QVORE-
medis.

rus, mollitionē: causa eius, euacuationem, coctionem: pars vt roboretur. Hoc modo pulchrè ex morborum causarumque morbificarum generibus remedia fluent, & alimēta. Tertiò perlustrabimus QVORAUXILIO vtendum sit ad id præstandum quod agere oportet: aliud enim est aptum medicamen esse; & aliud, eo vtendum esse: etenim multa interdū impedimento sunt, quò minùs aptè aptum remedium in vsum duci possit. Quare vt intelligamus num bonis ægrorum rebus adhiberi illud possit, consulemus admittentia & prohibentia, hoc est omnes indicationes reliquas, an negent vsum medicamenti, vel num annuant. Hoc itaque (vt in plerisque fit) noscemus ex indicationibus, in his quorū natura ratione perscrutari potest: vel ab vfu, si sola obseruatione remedia illi malo comperita fuerint: aut ex analogismo, si nec iudicio, nec vfu quicquam, quod conferat, comprobatum habuerimus: tunc transitu ad simile intelligemus quid expediat. Si itaque indicationibus (vt ferè fit) vti licet, statuendum erit in historia ea quæ præstò est, quæ & quot sint indicantia: dein contraindicantia, hoc est repugnantia: & ea quæ admittunt quæ ab indicantibus iam decreta sunt. Hæc benè fient studiosè indicantium vi notatis: nam hinc agendi ratio constabit. nec varietas rerum notandarum nos confundat: vnum enim est quod vnum indicat; reliqua Limētini sunt: nam vel coindicant & admittunt, vel contraindicant. Itaq. medicus, antequam ad consilium venit, noscat quæ &

quot sint indicantia, & quid singula indicent, quid singulis repugnet, quid vnumquodque admittat. Primum itaque indicantia ponantur: dein coindicantia, & contraindicantia. Vt quid indicet sui tutelam, & quid ablationem, victum, pharmacum, quid alterantia, euacuantia: & quid qualem vacuationem petat, sensibilem, incompertam: si sensibilem quid postulet, nū pharmaciam, phlebotomiam, vrinalem, sudorificam. & quæ his patrocinentur, & quæ reclamant. Quartò videbimus QVALI medicamine transigi curatio debeat, in substantia, qualitate; & dein quantitate, tempore, & vtendi modo. num crasso aut liquido, odorato vel foetido, calido actu aut frigido, curuo, recto; repellente, digerente, coquente; quòd elucet ex morbi decursu, peculiari ægri naturâ, cōsuetudine, partis substantiâ, formatione, vfu, ac situ. Vt si euacuandum: cūm variè id fiat, decernendū num sensibus deprehēsâ, vel his incompertâ id exhaustionem peragendum sit. si phlebotomiâ, latū vulnusculum infligendum, si crassior sit sanguis. Iucundè vbique agendum, etiam si ad paulò deterius deflectendum foret. Quintò QVACOPIA, in vi & mole, vsus remedij ineundus sit cogitabimus. Vis indigitatur à ferocia & remissione affectus morbifici, & à temperie, ætate, situ partis eiusque formatione: vt amplitudo meatuum. Moles sortitur sua indicantia, morbum eiusq. causam: coindicant vel contraindicant temperies, habitus corporis, vitæ institutura, ætas, regio, consuetudo,

QVALI.

QVA
COPIA.

consuetudo, anni tempus, sympto-
mata quæ dehortatur. Ex his enim
vires deprehendimus præsentēs, &
mox futuras: quæ si periclitentur,
vacuationes maiores renuunt. Qua-
re in cunctis medelarū scopis per-
pendendum, quid per se his repu-
gnet, aut hos admittat; & quid per
aliud hoc agat. Sextò examinan-
dum **QVO MODO** agendum. id
patefiet ex morbo eiusque causa,
sexu, parte affecta. &, vbi locus va-
riari potest, ex multis commodio-
rem eligemus. Vt in dysenteria,
totum corpus per intestina nō pur-
gabimus: sunt enim hæc loca ex
euentu incommoda: sed potiùs vo-
mitu, vel urinâ excludemus ea quæ
in vitio sunt: ita afflictis non dabi-
tur afflictio. Septimò notandum
QVO TEMPORE sit agendum,
hoc est, captari debet occasio. illam
ancupabimur à præsentia & absen-
tia eorum, quæ tunc agendum vel
superfedendū esse indicant. Si ad-
sunt morbi & causæ morbificæ, &
si absunt symptomata quibus vires
debellantur, vt dolor sæuus, vigiliæ,
stomachi rosio indeque anxietas,
nec adsit prostrata virtus, absit cri-
ticus naturæ motus, vt erumpens
sudor. Animaduertendum quæ-
nam præcessere, & quæ consequuta
sunt. Somnus proximè excipere
venæ sectionem non debet, nec
multa inedia, aut crudus in ven-
triculo cibus, vel paroxysmus mox
inuadens. mos & motus tempus-
que morbi hoc itidem aperient, &
naturæ ordo. ita vena aperitur eo
tempore quo promptiùs effluere
potest sanguis. Vltimò **QVO OR-
DINE** transigi curatio debeat di-

ligenter inquiremus. Non in omni-
bus ordine opus est, sed vbi multa
sunt agenda. Quæ simul agi non
possunt vel non debent, tripliciter
complicantur. vel vnum, ratione
alterius, causæ analogiam gerit: aut
causæ, sine qua non, erga aliud, fa-
ciem induit: aut vnum vrgentioris
ideam præferebat: vel ita conuenere,
vt vnus curatio, alterius medelam
impediat. ita qui mingit sangui-
nem laborans ex renum calculo,
purgari illi debent renes, ac mox
sanguis stringi. Quare notabimus
quid inter morbos, causas morbifi-
cas, & symptomata vrgentius sit:
quid causæ locum occupet sine cu-
ius ope non premeret morbus: &
quid sit effectricis causæ loco. Fe-
liciter ille medicinam faciet, qui
hos assequetur scopos. Sed id hîc *Observa-*
obseruandum, vt hi solùm propo-
nantur, quos præsens historia ex-
igit: & vt illi præponantur, à qui-
bus reliqui nascuntur: & qui ma-
ximè vrgent. Vnde hæc noscās,
docet tota medicina: at nos quæ
priùs percepta fuere, hîc tantùm
in vsum flectimus. Si autem eo-
rum, quæ ad hos scopos faciunt,
infirma quædam esse videantur,
ratione stabiliantur, aut experien-
tiâ rationali firmentur. Sin nec à
ratione, nec experientia hoc ob-
tinere possis, tunc solùm auctori-
tatem maiorum in subsidium vo-
cabis. quare vbi lucida sunt omnia,
absit auctoritas maiorum, ratio,
& vsus. A consiliis fastus omnis *Notandū*
absit: sed elegantia sint omnia *de elegan-*
& ad commodum ægrorum com-
parata. & voueo ego vt cum sum-
ma modestia & humanitate, vo-

QVO
MODO.QVO
TEM-
PORE.QVO
ORDI-
NE.*Notandū
de elegan-
tia.*

Pyth. 11.
* hoc est,
Charitum
nobilium
me no de-
stituat
lumen.
In Crate-
re.

uere velit consultor hoc Pindari,
* χαείτων κελαδηνάων
μή με λιτοι καθαρόν
φέγγε.
vel illud Mercurij Trismegisti,

Καὶ Χαείτων μεμνάσθαι ἐν παντὶ
ἔργῳ μέγιστον.

Nisi in metu essem, me extra Me-
thodi lineam excursurum esse, vo-
lenter subnecterem exemplum An-
ginam : in qua horum axiomaticum
usus tanquam in re praesenti efful-
gescerent : Sed breuitas huic sacra-
me cohibet. Sin quis anxie exerci-
tationem efflagitet, (ne quenquam
suo labore fraudem) in examen
ducat Pleuritidis historiam a do-

F I N I S.

ctissimo Argenterio editam, libro
De consultationibus medicis, capi-
te duodecimo. Hæc de vniuersali-
bus satis esse poterunt. D E V S O P-
T I M V S M A X I M V S faxit, vt quæ
hucusque scripsimus, ex sententia
& feliciter in reipublicæ Christia-
næ usum vertantur. quod indubiè
succedet, si ægrotorum sanationem
non nostro ingenio, sed potius
summæ beneuolentiæ & amoris per-
petui nostri Archiatri IESV CHRI-
STI ascripserimus. Etenim
N I D E V S affuerit, viresq; infuderit
herbis,

Quid, rogo, dictamnus, quid pana-
cæa inuenit?

[Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including the words 'Quid, rogo, dictamnus, quid panacæa inuenit?']